bus, quibus ab aliis Sanctis diſtinguitur, & una ex arctiſſimis obligationibus, quas ſuis filiis præſcripſit. Si enim fieri volunt Patris ſui imitatores, deferre debent quocumque ſolitudinem ſuam, ita ut nunquam magis ſoli ſint, quam cum mundo ſunt impediti; & reſervantes meliorem ſui cordis partem Deo, minori dumtaxat rebus creatis adhæreant. *P. Senault in Panegyricis Sanctorum, Tomo 1.*

Baptiſmus cogit Fideles, ut vitam vivant ſolitariam conformem vitæ Jeſu Chriſti.

Baptiſmum eſt tanquam ſpirituale ſepulcrum, ubi homo peccati ſepelitur, & gratiæ renaſcitur: itaque prima obligatio, quam hoc Sacramentum Chriſtianis imponit, eſt ducere vitam prorſus ſpiritualem, a ſenſibus avulſam, & vitæ Jeſu Chriſti conformem; quoniam baptizantur in ſanguine illius, & in ſimilitudinem mortis ejus, ut Apoſtolus loquitur; ſed generalis hæc obligatio fuit particularis vocatio horum fidelium, quos, ut ita dicam, eduxit Deus de aliorum hominum maſſa, ut ſanctificaret illos in ſolitudines mortuos mundo. Hi non aliud reſpexerunt, quam Cælum; non aliam habuere converſationem quam orationem; non aliam exercitationem niſi pœnitentiam; non ſpem aliam, quam vitam æternam; non alium bonorum operum ſuorum teſtem, quam Deum, qui cum eorum eſſet objectum, merces etiam futurus erat. *Ex Specimine Panegyricorum. Tomo 1.*

Voluit Deus dare illum poſteritati tanquam gratiæ prodigium, & abſolutiſſimum exemplar ad imitandum.

Ex hoc numero fuit Sanctus N. Hic vir, quem Deus plures annos abſcondit in ſecreto faciei ſuæ, ut futuris illum ſæculis daret tanquam imaginem innocentiæ mortificatæ, ac pœnitentis; hic vir, vel dicam melius, hic Angelus, qui ſe inviſibilem quodammodo præbuerat reliquis hominibus; qui habitus fuit tanquam prodigium gratiæ Jeſu Chriſti, & vivens imago veritatis Religionis ſuæ, a nobis habendus eſt tanquam Mundo mortuus per omnimodam ſeparationem a ſæculo in ſolitudine, & vivens cum Chriſto, ut mundum ædificet. Si ipſum æterno damnat ſilentio, & nullam niſi in Cælis habere vult converſationem, & mundum ipſum deſerit, ut ſe ſe totum Deo in ſolitudine devoveat. *Idem.*

Divina Providentia curam gerit eorum, qui ſe ſe penitus illi tradunt.

Cur nequeo illum exhibere vobis plures annos incluſum in tumulo, a natura univerſa alienum, & ſæculi oculis abſconditum? O Domine, qui triſtem conſolaturus Agar errantem in Deſerto, & avertentem oculos, ne morientem puerum videret, non ſine miraculo fontem excitaſti, qui ſitim utriuſque extinxit, qui exquiſitas dapes, & manna cælitus demittere dignatus es in populum tuum per deſertum in terram promiſſam euntem; qui corvorum miniſterio aluiſti Prophetam Eliam ſecus oram torrentis, ubi delituerat, ut falleres Jezabel perſequentem; qui panem multiplicaſti, ut aleres Turbas, quæ te ſecutæ erant propter ſuaviſſimas divini eloquii tui illecebras, viſus es Dominus naturæ attente ad vocem omnipotentis Creatoris ſui; hæc potes inſtaurare miracula in gratiam S. Anachoretæ; ſed effundere voluiſti quocumque exempla virtutum illius, ita ut lumen hoc abſconditum ſub modio penetraret nubem, quæ celabat illum in oculis mundi. *Ex Specimine Panegyricorum.*

Satis admirari nõ poſſumus vitã auſteram, quã Sanctus hic duxit in illis horrentibus locis.

Quanta nos caperet admiratio Sancti hujus viri, ſi liceret exhibere vitam Angelicam, quam tot annos duxit in obſcuro ſpecu, & inhoſpitali, ubi ſpiritus ejus non minus quam corpus aberat a Mundo! Quis enarrare poſſet raptus ejus, atque extaſes? Quo magis vacuus erat ſæculo, eo magis plenus erat Deo. Effundebat Dominus in animam ejus cæleſtes delicias, ac interiores ſuavitates, quæ efficiunt verum gaudium, ſolidamque Eremitarum beatitudinem, ibique ille guſtabat voluptates adeo ſuaves, ut de temporis quereretur pernicitate, quod aliquando illi harum conſolationum delicias auferebat. *Idem.*

Seceſſit a Mundo non ut evitaret amaritudines, ſed libero pœnitentiæ ſpiritu.

Sancti hujus noſtri a Mundo receſſus non fuit coactus, qualis eorum eſſe conſuevit, qui ſecedunt, ut evitent tædia, atque faſtidia, quæ in nobis ciet moroſum ingenium ſocietatis inimicum; & ubi poſt aliquot horas devotioni impenſas, homo diſſipatur nugis, quæ parum decent Eremiticæ vitæ ſanctitatem; ubi amor ſingularitatis, & dominandi ſpiritus nos includunt in quorumdam amicorum orbe, qui noſtris infirmitatibus adulantur; & ubi famoſis libellis, aſperrimiſque cenſuris corripimus mundum, a quo contemnimur, & derelinquimur. *Idem.*

J. C. novit conciliare vitam abſconditam cum vita publica.

Jeſus Chriſtus omnis Sanctitatis, & Sapientiæ exemplum, quo nomine a Clemente Alexandrino appellatur, vitam duxit publicam, & vitam abſconditam. Voluit converſari cum peccatoribus, ut illos erudiret, quos Providentia in Mundi commercio implicat, & vivere voluit ſeorſim a peccatoribus, ut perfectam daret ideam vitæ ſolitariæ iis, quos eadem ad contemplationem appellat. Ideo in deſerto ſuo, abſconditaque vita complecti voluit omnes virtutes, quæ Eremitis ſunt neceſſariæ: vim admirabilem reſiſtendi omnibus dæmonis tentationibus: *Ductus eſt Jeſus in Deſertum, ut tentaretur a Diabolo*; (*Matth. c. 4.*) admirabilem humilitatem, propter quam gloriam, & Mundi honores contempſit: *cum cognoviſſet Jeſus, quia venturi erant ut caperent eum, & facerent regem; fugit ſtatim in montem ipſe ſolus*: (*Joann. c. 6.*) infatigabilem in Oratione perſeverantiam, *ſeceſſit in Deſertum, & orabat*. Denique generoſum conſilium tuendæ gloriæ Patris ſui, & ſe præparandi ad mortem veluti victimam: *Egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Olivarum*. En quid fecerit J. Chriſtus in Deſerto, & ſimul ecce, quid ad illius imitationem fecerit Sanctus N. ita ut de hoc dici poſſit illum mortuum eſſe, ut mortuus eſt J. C. & vitam illius abſconditam fuiſſe in Deo, ut ejuſdem J. C. vita. *Ex Specimine Panegyricorum. Tomo 1.*

Sola narratio vitæ, & mortis Sancti noſtri, ſatis eſſet ad peccatores convertendus.

En, Auditores lectiſſimi, quid ſit vivere, & mori in Jeſu Chriſto. Sola narratio vitæ, ac mortis Sancti N. plurimas gignebat converſiones. Ubi de magno hoc Eremita incideret ſermo, peccatores flagitia ſua relinquebant; juſti excitabantur, ut ſe ſe in virtute perficerent; pœnitentes ſe ſe in exercitatione mortificationis inflammabant: mercatores negotiationes, milites arma, eruditi volumina, Reges, atque Reginæ regias ædes relinquebant. Cur ergo vitæ ejus hiſtoria non poterit nos a mundo divellere? Opus ne eſt, ut exemplum Magni Sancti hujus, ac tot aliorum, qui ſacrificarunt quidquid in ſæculo ampliſſimum, atque ſuaviſſimum erat, efficere nequeat, ut hæc infringamus vincula, quibus mundo vincti adhæremus? Numquid nobis non ſunt cauſſæ eædem, quæ illos excitarunt? Nunquid deeſt nobis earumdem gratiarum ſubſidium? Non ne Infernus nobis metuendus eſt, ac ſuperandus Paradiſus? *Idem.*

Sanctus hic mũdi commercium evitavit, ut in Deo viveret.

Sanctus N. ingreſſus eſt in teterrima deſerta, quæſivit penitiora vaſtæ ſolitudinis latibula, abdidit ſe in ſpecum, ut hominum oculos falleret, ſepelivit ſe in tumulo cum mortuis, ut nullum amplius haberet cum viventibus commercium, & ſenſim, & ſine ſenſu moriens ſibi, vivere cœpit Deo. In felici hoc ſeceſſu domuit corpus ſuum jejuniis, rationi ſubjecit cupiditates, avulſit ſpiritum ſuum a carne, & adhærens ſummo bono, quod amabat, feliciter inde egregias omnes qualitates expreſſit. Ibi docuit homines quærere ſolitudinem, ut ibi Deum inveniant, & refulgens *tanquam Stella Deſerti* terram in Cælum convertit. Ibi dæmones prælio vicit, expulitque ſolitudine, quam ſibi delegerant poſtquam ex mundi oppidis extorres per Evangelii prædicationem acti ſunt: *Idem.*

Sanctus hic Pœnitens omnes mundi curas abjecerat.

Sanctus hic Pœnitens permanebat in ſolitudine, omnibus ſæculi curis expeditus; ibique cæleſti rore paſcebatur, cujus ope inceſſanter ſuavi, & frequenti divinarum rerum meditatione perfruebatur. Ne corpus mentis ſuæ volatum præpediret, illud jugi pœnitentia exercebat, in illud tanquam in inutile mancipium ſæviens, & tanquam in reum animadvertens. Quænam erat illius eſca? Jejunium. Quæ illius quies? Vigiliæ, & labor. Quod indumentum? Aſperum cilicium. Ex quo infertur, duplicem Eliæ ſpiritum fuiſſe, quod ſpectat ad corpus, Spiritum mortificationis, quod ad animam pertinet, Spiritum orationis, & contemplationis. Utroque ſimul repletus fuit divinus Præcurſor Joannes Baptiſta, ex quo in terris viſus eſt; quapropter illum nobis exhibuit Evangelium tanquam alterum Eliam: *Et ipſe præcedet in ſpiritu, & virtute Eliæ.* (*Luc. 1.*) Magnificum quidem elogium in paucis verbis, quibus continetur; ſed licet magnificum, melius applicari nequit, quam illuſtri Sancto, cujus memoriam hodierna die univerſa colit Eccleſia. *Exhortationes Chriſtianæ Patris Bourdaloue. Tomo primo.*

De præſtantia & magnitudine pœnitentiæ.

Fatendum eſt in vita auſtera, & mortificata non deeſſe magnum aliquid, & hanc non parum conferre ad Sanctitatis meritum commendandum. Eos veneramur, qui in perſona ſua deferunt vitæ hujus characteres; & licet ipſis nobis indulgeamus, in aliis ſeveritatem hanc admiramur, neque credimus raram, ac ſingularem virtutem melius exhiberi poſſe, quam ſi repræſentetur tanquam rigida in moribus, ſtudiis naturæ oppoſita, ſenſus, & carnis inimica. Et ſane bellum hoc, quod ſibimet infert homo, hoc corporis ſui odium, indefeſſus hic labor negandi illi omnia, & generoſum conſilium illud perſequendi, crucifigendi, deſtruendi, totidem ſunt miracula, quæ ſuperant noſtræ humanitatis infirmitatem, & quæ non aliud habere principium poſſunt, quam omnipotentem Dei gratiam. Quærebat ex Judæis Jeſus Chriſtus, quid illi quærerent in Deſerto, cum illuc catervatim confluerent glorioſum Præcurſorem ejus viſuri: *Quid exiſtis in Deſertum videre?* (*Matth. c. 11.*) Putatiſne, dicebat illis, vos ibi viſuros hominem mollibus veſtitum? &c. *Exhortationes Chriſtianæ P. Bourdaloue. Tomo 1.*

Sancti Eremitæ in deſertum conceſſerunt ut facilius ſe ſanctificarent.

Thebaidis, Nitriæque deſerta, quibus ut ita dicam, tot inſignes ſanctitate viros debet Eccleſia, parum frequentia fuiſſent, niſi tranquilli eorum ſeceſſus aptiores viſi fuiſſent contemplationi, quam urbium rumor, atque tumultus. Et quam inutile fuiſſet Paulis, Antoniis, atque Hilarionibus mundum deſerere, ut expeditius viverent in Sancta ſimplicitate, quam illis præſcribebat Evangelium, niſi neceſſaria fuiſſet ad adquirendam ſpiritus, & cordis puritatem, quam tanta cura quærebant? Neque dixerim ideo neceſſum eſt, ut omnes relinquant urbes, ut ſe ſanctificent. Quilibet perfici poteſt in omnibus ſeculi ſtatibus, & conditionibus. Nemo tenetur in Deſertum ſecedere, ut ſaluti proſpiciat ſuæ: ſed qui ad altiorem perfectionis gradum conſcendere volunt, ſe ſe omnino expediunt e mundo; ne amplius ullum cum eo habeant commercium, atque ut arctius adhæreant Deo. *Sermo quintus Academiæ anno 1677.*

Anachoretæ principem tenent inter ſolitarios locum.

Anachoretæ ſemper principem inter ſolitarios locum tenuere propter ſtatus excellentiam, & eminentiam virtutis, & ſanctitatis. S. Benedictus ſecundum ordinem, ac naturalem diſpoſitionem primos Cœnobitas appellat; quoniam a Cœnobio ad Eremum gradum faciebant, & hi primum ſemet inter Clauſtra efformare debebant, & per virtutum aliarum exercitium, præcipue vero obedientiæ adquirere perfectionem, robur, & mortificationem neceſſariam ad feliciter ſuſtinenda prælia, quæ illis in ſolitudine ſunt obeunda. Neque ideo exiſtimandum eſt, quo minus Deus, qui ubi vult, communes regulas prætermittit, in ictu oculi de medio Mundi in Deſertum abripuerit electas animas, quas gratia ſua roboraverat, ſuoque repleverat ſpiritu, ut innoteſcit exemplis S. Pauli, S. Antonii, S. Mariæ Ægyptiacæ, Sancti N. cujus hodie memoriam celebramus, aliorumque plurimorum. *Ex Regula S. Benedicti. Tomo 1.*

Tædia, & amaritudines, quæ obruũt Sanctum hunc Eremitam in deſerto.

Vir Sanctus hic Eremita mundo extremum vale dixit, ut ſe in deſerto ſepeliret, cum (nondum enim ſatis illi videbantur omnes auſteritates, quas ſanctum ſui odium; cum Dei amore conjunctum fecerat, ut in ſemet exerceret) permiſit, ut cor ſuum amaritudine repleretur; voluntas ſua ariditatibus, tædiis, extremiſque deſolationibus affligeretur; conſcientia acutiſſimis morſibus turbaretur, & ſcrupulis adeo importunis urgeretur, ut nullum quietis momentum carpere poſſet. Integras traducit noctes effundendo lacrimas felle amariores; pœnitentias ſuas iterat, onerat corpus ſuum recentibus auſteritatibus; confugit ad ſacramenta; producit preces ſuas; & nihilo minus lucem invenire nequit in tenebris, neque animæ ſuæ lætitiam reperire. Creſcunt illius tumultus, & ſollicitudines, vel ut melius dicam, creſcunt agones illius, ac tentationes augentur; videt ſe exagitatum importunis perſecutionibus Dæmonis, qui jugibus deſperationis cogitationibus illum torquet. *Ex Panegyricis P. Texier. Tomo 2.*

PRO COMMUNI CONFESSORUM POENITENTIUM.

MONITUM.

HOc Pœnitentium nomine, quod in primitiva Eccleſia locus erat a communi Fidelium loco diſtinctus, de illis verba facere intelligimus qui fidem abnegaverant, aut flagitioſam, & abnormem vitam duxerant, qui tamen per Domini gratiam, atque miſericordiam ad officium ab errore converſi, humiliter ſe ſe Canonicis pœnis, atque animadverſionibus ſubjiciebant, & ad non modicum tempus a reliquo Fidelium cœtu ſepoſiti permanebant. Hoc autem exigebat Eccleſia pro peccatis enormibus, publiciſque, donec poſt publicam ſatisfactionem illos in partem admittebat Sanctorum Myſteriorum, quæ illis negabantur, niſi in gratiam cum Eccleſia rediiſſent, ac ſinceræ, veræque pœnitentiæ ſpecimen dediſſent. Hinc factum eſt, quod complures eorum per ſingularem Dei gratiam, cum eſſent antea peccatores inſignes, evaſerint admirabili ſanctitate viri; & poſtquam Eccleſia illos Anathemate percuſſerit, & in eos tamquam impios animadverterit, deinde tanquam Beatos coluerit; eorum pœnitentia facta fuerit æque glorioſa coram Deo, ac eorum crimina eos in oculis hominum dehoneſtaverant. Non eſt cur admodum in Scripturis, Sanctiſque hiſtoriis verſati ſimus, ut ingentem Sanctorum id genus numerum inveniamus, quorum elogium ſub Pœnitentium nomine celebrari poteſt.

Modo licet Eccleſia juſtis de cauſſis plurimum de hac veteri diſciplina remiſerit, Dei tamen juſtitia nihil de jure ſuo relaxavit. Hæc ſibi vult in hac, vel altera vita ad extremum quadrantem ſatisfieri, cum hoc tamen diſcrimine, quod qui pœnitentiam ſuam in alteram differunt vitam, in aperto verſantur periculo nunquam pœnitentiam agendi: ii vero, qui in hoc ipſo Mundo fructus faciunt dignos pœnitentiæ, non ſolum Dei juſtitiam vitæ auſteritate mulcent, verum etiam ſæpe ad eum ſanctitatis, gloriæque gradum in Cælo perveniunt, quo non perveniſſent, ſi nunquam flagitioſam vitam duxiſſent. Non deſunt plurimi, qui hac via ſe ſe ſanctificarunt: ſed quos aliunde cognoſcere non valemus, niſi ex pœnitentiarum ſuarum aſperitate; qui unicus titulus ſatis eſt ad eorum exornandum elogium ſermone ſatis utili, ac frugifero, pro quo hic non arctam rerum ſuppellectilem ſuppeditamus.

PRO COMMUNI CONFESSORUM

Pœnitentium.

Laſt numinis dolor elicere debet lacrimas ex oculis noſtris.

RAtio traducendi in ſancto mœrore dies noſtros, eſt concipere, ac aſſequi mente, quid ſibi velit peccaſſe; tunc enim non in ſolo dolore, & mœrore ſubſiſtimus, ſed erumpimus in ploratus, lacrimas effundimus, & carnis auſteritatibus maceramur. Hæc tria neceſſaria ſunt, ut vivamus ſicut perfectum decet Pœnitentem. Primum fovendus eſt in imo corde extremus dolor patrati ſceleris; ſecundo lacrimæ fundendæ ſunt, vel ſaltem ingemiſcendum eſt coram Domino; tertio caro mortificanda eſt per eas pœnas, quæ ſingulorum viribus, atque ſtatui aptiores exiſtimantur. *Abbas de Jarry.*

Lacrimæ, quas fundimus in obitu conſanguineorum, aut amicorum, ſunt inutiles.

Inutiles lacrimæ, quas conſanguinei, vel amici mors, aut temporalis alicujus boni jactura elicit. Hæ quidem facerent, ut jacturam ſentirem, illam autem non repararent; ex tantum lacrimæ, quibus eluam peccata mea, jacturam a me factam ſarcire poſſunt. Sum ex illis miſeris, quibus permittit Deus conſolationem, niſi amplius ſæculi voluptatibus me abdidero, ſi inutiles nugas contempſero, ſi omnia magnitudinis, & fortunarum meditamenta abdicavero. Sacrificium hoc non poteſt eſſe difficile cognoſcenti pretium lacrimarum pœnitentiæ. *P. Segneri Tomo 5. Meditationum.*

Lacrimæ pœnitentiæ, quas Magdalena, & S. Petrus effuderunt, triſte corum corum penetrabant.

His pœnitentiæ lacrimis peccatrix Magdalena ſe abluit, & ſanctus Petrus emundatus eſt; ſed oportet, ut ſalutares contritionis aculei, qui has lacrimas eliciunt, in corde per gratiam defixi ſint, & gemitus, qui peccati ſordes eluunt, manent ex fonte divino; quia animæ juſtificatio effectus eſt ſupernaturalis, qui non niſi a ſupernaturali cauſſa producendus eſt. Hujuſmodi fuerunt ſancti Petri lacrimæ; ex contrito illius corde, & divino Domini ſui obtutu, tanquam ſalutari quodam jaculo confoſſo effluxerunt, cujus vi pus, & venenum vulneris adhuc recentis manavit: *& egreſſus foras flevit amare.* (*Matth. 26. & Luc. 22.*) Lacrimarum amaritudo conjuncta fuit cum copia. Quod per voluptatem ingreditur in cor, non niſi per dolorem poteſt emergere. Hinc fons lacrimarum, qui poſt peccatum ejus obortus eſt, ad mortem uſque fuit inexhauſtus. Traditio teſtatur, hos lacrimarum rivulos, jugiter ex oculis ejus fluentes, in genis illius effodiſſe viſibiles notas doloris ejus; adeo illi perſuaſum erat, ſatis eſſe ſemel peccaſſe, ut fletibus æternis peccatum delendum ſit. *Satis eſt peccaſſe ſemel ad fletus æternos. Idem.*

Prophetanos excitat ad effundendas coram Domino lacrimas.

Jeremias ſecundo lamentationum ſuarum capite, ita loquitur ad populum Iſrael: *Deduc quaſi torrentem lacrimas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui: conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum; effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini.* (*Threnor. 2.*) Propheta per hæc verba Judæos excitat ad pœnitentiam, quia graviter læſerant Deum, & quia poſt excidium Jeruſalem captæ, direptæque a Rege Babylonis, adhuc reliqui erant anni ſeptuaginta moleſtiſſimæ captivitatis; oſtendit illis veram pœnitentiam requirere gemitus, & ploratus; & nihil addi poſſe videtur iis, quæ dicit: *Deduc quaſi torrentem lacrimas.* Satis eſſe non putat lacrimas aliquot, ſed tanta in copia lacrimas jubet effundi, ut æquiparari valeant torrentibus, cum impetu fluentibus, ac omnia ſecum trahentibus. Jubet etiam has fluere *per diem, & noctem*, ut oſtendat, lacrimas has nequaquam ceſſare debere, quod prorſus oppoſitum eſt torrentibus, qui celeri quidem curſu feruntur, ſed quam primum exareſcunt. Oportet igitur ut lacrimæ torrentis habeant rapiditatem, & perennem fluminum curſum. Plorare *per diem, & noctem* ex Prophetæ ſententia non aliud eſt, quam a plorando non deſiſtere. Quapropter addit: *non des requiem tibi*: Ne ſomno indulgeas; neque enim quieſcendi tempus eſt, cum Dominus ſublata manu percuſſurus eſt te; lacrimare, inceſſanter implora divinam miſericordiam ſuam non verbis quidem, ſed lacrimis, non lingua, ſed oculis. Hic enim orandi modus magnas habet vires ad iram ſupremi judicis flectendam. *Cardinalis Bellarminus in Opuſculis.*

Quando & quo doloris ſenſu plorandum eſt?

Sed quoniam infirmitas humana aliquam requirit requiem, admonemur, ut ſaltem aliquam noctis partem vigilemus, quod tempus maxime proprium eſt vacandi orationi, & gemendi coram Deo: *Conſurge*, ait Propheta, *lauda in nocte*; videlicet cum modicum quieveris per diem, indulge orationi, & ne expectes donec admodum proceſſerit nox: *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini*; hoc eſt confitere illi peccata tua, ita emunda cor tuum, ut nihil reliquum ſuperſit; ſicuti ne una quidem aquæ gutta ſupereſt in vaſculo, quod evacuatum eſt. Hoc enim tempus eſt inveniendi gratiam coram Deo, confitendo patrata ſcelera; & humiliter, & cum lacrimis profitendo, te pœnas meritum eſſe, ac dignum eſſe, qui puniaris. S. Ambroſius loco huic hunc tribuit ſenſum: *Effunde* ait, *cor tuum in conſpectu Domini.* Sed non ſatis eſt amaris fletibus noſtra eluere peccata; illa etiam fratrum noſtrorum ploranda ſunt, & quantum per nos fieri poteſt, eorum converſioni conferendum eſt. *Idem.*

Homo aſficitur magis parentis jactura, quam gratiæ.

Lacrimis proſequi debemus gratiæ jacturam, & animæ noſtræ mortem. Qui vidit filium ſuum morientem, aut quæ virum ſuum, ſummo tantum mortis illorum dolore conficiuntur; nos vero, qui peccatis noſtris Cœli jacturam facimus, ne advertimus quidem. Eos, quicumque tandem illi ſint, non pudet teſtari immenſum dolorem ſuum; ſe ſe proſtrant humi, amaras emittunt lacrimas, veſtes mutant, & ſordidati ingemiſcunt. Non cogitant amplius, ſe in deliciis innutritos fuiſſe; non timent, ut maciem contrahant, ac dolori indulgentes incidant in morbum. Molles feminæ ſuſtinent ea, quæ maxime faſtidium creant, & marem, virilemque animum præſeferunt. *S. Chryſoſtomus in Opuſculis.*

Quomodo S. hic pœnitens tradidit argumenta veræ & ſinceræ pœnitentiæ?

Cordis, & vitæ mutatio adeo eſt de eſſentia pœnitentiæ, ut ipſi quoque Hæretici nobiſcum conſentiant, & hac in re non differant a Catholicis, niſi quatenus in hoc ipſi conſtituant omnem eſſentiam, & obligationem; nobis aſſerentibus hanc partem eſſe dumtaxat; ſed cui ut plurimum adeo præpoſtere ſatisfacimus, ut libenter affirmarem, eodem tempore, quo Hæretici illius deſtruunt naturam, ſæpe Orthodoxos praxim evertere; nunquam enim minus ſinceræ viſæ ſunt converſiones, nec minus veræ morum, vitæque mutationes. Abuſus qui hac in re accedunt, eo procedunt, ut inutilem efficiant ſupremam malorum omnium medicinam, & unicam ſalutis noſtræ ſpem diruant. Cum autem Sancto Pœnitenti noſtro explorati compertique eſſent omnes iſti abuſus, nemo fuit, qui apertiora dederit veræ, ſinceræque converſionis documenta. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Theologorũ de Pœnitentia ſententiæ.

Jure optimo dixerunt Theologi, Pœnitentiam eſſe juſtitiæ divinæ effuſionem, & præcipuum illius munus eſſe acuere peccatorem in ſeipſum, eumque cogere, ut in ſe animadvertat. Profecto Pœnitens non aliud eſt, quam homo irritatus, quærens Dei gloriam, & ulciſcens contumelias, quæ in ipſius perſonam illatæ fuerunt. *Quid eſt aliud homo pœnitens,* S. Auguſtinus ait, *niſi homo ſibimet iratus?* Ægre ſe ipſum ſuſtinet; quia ſe nocentem videt; & perinde ac ſuus eſſet judex, & carnifex, excogitat nova quotidie ſupplicia, ut ſe ipſum puniat. Cum ejus augetur iracundia, de dolore gradum facit ad mortem, & quin ſcelus admittat, innocuam artem invenit efficiendi, ut quidquid in ſe diſplicet Jeſu Chriſto, moriatur. Conatur enim delere omnes reliquias peccati, quas a primo Parente accepit. Occidit per pœnitentiam veterem hominem, confugit ad mortificationem, deficiente Martyrii occaſione, & minime valens vitam perdere inter ſupplicia, eam breviorem efficere ſtudet per jejunia, atque vigilias. *Veterem hominem*, Guerricus Abbas ait, *cum actibus ſuis gladio pœnitentiæ interficit.* (*Sermone de Pœnitent.*) Et S. Bernardus, *perdit animam ſuam ſive ponendo eam, ut martyr: ſive affligendo, ut pœnitens.* (*Bernard. ſerm. 30. in Cantic.*) Denique in exceſſu iræ ſuæ eligit ſæviſſimum mortis genus, ac ſe ipſum damnat ad ſubeundam honoris, ac vitæ jacturam, ſe ipſum cruci confingens. *Chriſto confixus ſum Cruci.* (*Galat. 2.*) Ubi S. Joannes Chryſoſtomus inquit, duo magna elucеſcere miracula viſa ſunt, quæ ſtuporem fidelibus injiciunt; Quorum primum eſt, pœnitentem vivere, quia reſurrexit: alterum vero, mortuum eſſe, quia crucifixus eſt: *declaratque duplex miraculum, alterum quod crucifixus eſt, alterum quod vivit, & quod vivens, ac ſpirans ſimul crucifixus eſt.* Pœnitentia nequit longius procedere, nihilque ultra exigit a peccatore, ubi illum contra ſe ipſum animavit, ejuſque manibus uſa eſt ad occidendum illum innocuo parricidio, & affixit illum Cruci, ut juſtitiæ divinæ faceret ſatis. *In Panegyricis P. Senault Oratorii. Tomo 3.*

Sanctus hic vir nulli pepercit rei, ut ſe puniret, & morti abdicaret?

Ex omnibus Pœnitentibus, qui has omnes diverſas tentavere vias, nemo diligentius, auſteriuſque id fecit, quam Sanctus N. cujus feſtum diem hodie recolimus. Si enim attentius ad examen revocaveritis primos converſionis ejuſdem annos, videbitis hominem iratum ſibi, nihil ſibi parcentem, ſibi retinentem non dico ſuperflua, ſed neceſſaria, corpori ſuo indicentem bellum, quaſi hoſti infeſtiſſimo; dies in jejuniis, noctеſque in vigiliis traducentem, & in omnibus actibus æquiſſimam ultionem ſuam præſeferentem. *Idem.*

Quomodo Sanctus hic ad mortificationem, & pœnitentiam confugit?

Sanctus Noſter ſciens Pœnitentem mortem dolori adjicere debere, omnes mortis occaſiones inquirit, cumque illam in Martyrio nequeat invenire, confugit ad mortificationem, quæ non aliud eſt, quam diuturna mors, eaque auſtera. Ut enim ſic S. Bernardus ait, ſi hoc ſupplicii genus non ita crudele eſt, ac illud, quod Martyrum conſtantiam exercet, ſaltem eſt prolixitate moleſtius: *Quamquam eſt genus Martyrii ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* (*Bern. ſerm. 30. in Cantic.*) Verum quis melius novit rigorem diuturnitati ſupplicii hujus conſociare, quam hic Sanctus, quandoquidem quotidie recentem excogitabat auſteritatem ad corpus, ſpiritumque ſuum mortificandum? *Idem.*

Mundo ſatis eſt admirari eos, qui cũ gaudio amplectuntur cruces, & mortificationes, ſed illos ſequi, & imitari detrectat.

Cum Calvarii Philoſophia eo ſublimior eſt, quo auſterior; longe plures habet admiratores, quam Diſcipulos; & niſi in Crucis ſchola fuerint innutriti, non ita facile illius aſſequuntur præcepta. Vult enim peccatorem non ſolum mundo emori, ſed etiam crucifigi. Vult illum amare, & in pretio habere omnia, quæ mundus contemnit, & odit; & e contra odiſſe & contemnere quidquid Mundus amat, & habet in pretio. Opus eſt, ut cruces ſint mutuæ, ut & mundo pœnitens crucifixus ſit, & mundus pœnitenti, *Omnia quæ mundus amat, crux mihi ſunt*; ut quidquid diligit mundus illi ſupplicium ſit; ut honores, opes, voluptates ille perhorreſcat, & quæ Mundus cruces putat, caſtas delicias eſſe arbitretur; illas diligenter requirit, libenter amplectatur, iiſque toto adhæreat affectu. *Idem.*

De exiguo pœnitentiũ numero in Eccleſia.

Pauci pœnitentes, & crucifixi in Eccleſia inveniuntur, & ſi aliquot Sanctos excipitis, inter quos Sanctus Noſter inſignem locum promeruit; non multos video, qui cum S. Paulo dicere valeant: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* (*Galat. 6.*) Non deſunt, S. Gregorius ait, qui carnem ſuam mortificant, & qui ad mundi gloriam anhelant; qui jactitare poſſunt, ſe crucifixiſſe corpus ſuum; ſed ſimul fateantur neceſſe eſt, ſe per ambitionem mundo vivere, & quin ibi crucem ſuam perquirant, ſe voluptatem, ac opes inquirere. *Qui corpus macerat, ſed honoribus anhelat, crucem carni intulit, ſed mundo per concupiſcentiam pejus vivit.* (*Gregor. l. 8. Moral. c. 26.*) Sed pauci inveniuntur, hic idem Pater addit, qui crucifixi ſint mundo, & quibus mundus ſit crucifixus; qui non amant amplius Mundum, & quos mundus non amplius diligit; qui mundum horreant, & quos horreat mundus, adeoque pauci ſunt pœnitentes. *P. Senault in Panegyrico Sancti Franciſci.*

Vera imago Pœnitentis.

Non ne hæc vera eſt Sancti N. tabula? Contemnit mundum, & a mundo contemnitur; ille mundum pati nequit; neque illum mundus; ſe ſe mutuo affligunt, & alterum viciſſim ſe crucifigit; & quaſi mundus factus eſſet Sancti hujus carnifex, perſequitur illum, & voci compos ſui non eſt, niſi eum ſuffixerit cruci, illum enim tanquam inſipientem traducit, in ludibrium vertit, & omni contumeliæ genere afficit. Videri ne poteſt bellum apertius, odium crudelius, & magis furens perſecutio? *Idem.*

Verus Pœnitens mundi placitis adverſatur.

Verum ſi mundus Sanctum hunc crucifigit; Sanctus hic non parcit mundo. Per Evangelii placita pernicioſa mundi placita evertit: auſteritate pœnitentiæ noxias illius voluptates condemnat; cilicii ſui humilitate veſtium pompam redarguit; ac tandem mundum crucifigit condemnans quidquid mundus veneratur. Severiuſne id facere poterat quam cum tot exercuit ſeveras mortificationes, quæ illum verum Jeſum Chriſti imitatorem efficiebant? Non ne hoc erat ſapientem Crucis ſtultitiam reſtituere? Non ne hoc tandem erat inſanam mundi Sapientiam damnare, illum Cruci ſuffigere, quemadmodum Jeſus Chriſtus olim dæmonem, & peccatum ſuffixit? *Idem?*

Homo, qui agit pœnitentiam, Dei juſtitiam prævertit, illam ultro in ſemetipſum exercens.

Homo agens pœnitentiam Dei fungitur officio, ejuſque locum tenet ſua peccata condemnans. Illa igitur cum omni ſeveritate damnare debet; hæc prima eſt concluſio. Homo agens pœnitentiam ſimul eſt & judex, & reus; hoc eſt judex a Deo conſtitutus in cauſa ſua, in qua in ſeveriorem partem debet inclinare. Hæc altera concluſio eſt. Homo agens pœnitentiam fert judicium a quo datur provocatio ad ſuperius judicium; cujus ſententiam ſine illa relaxatione ſubire debet. Hæc tertia concluſio. Homo autem plures ne ob cauſſas in ſemet debet eſſe ſeverus? *Ex primis Sermonibus P. Bourdaloue Tomo 3.*

Peccator pœnitens ſui ipſius Judex eſt.

Peccator vere tenet locum Dei, cum ſe per pœnitentiam judicat; & hoc Tertullianus innuebat per emphatica verba illa: *Pœnitentia Dei indignatione fungitur.* Quid eſt Pœnitentia! Virtus eſt, quæ in nobis fungitur munere juſtitiæ, vel potius iracundiæ Dei. Fingite vobis, S. Ambroſius inquit, Deum inſtituentem pœnitentiam pactum feciſſe cum homine, cum illo egiſſe, eique dixiſſe: opus eſt, ut aut ego judex ſim peccati tui, aut ut tu ipſe contra te judicium feras. Tibi optionem relinquo; alterutrum evitare non vales; peccatum enim tuum pœnam meretur; ſed alteruter ſatis erit. In te igitur eſt, eſſe judicem tui; ſi enim temet per pœnitentiam judicare volueris, mihi nulla erit amplius actio in te; alioquin niſi ipſe volueris exercere in te ipſum judicium hoc, jus meum mihi manebit, & tanquam Deus, tenebor mihimet jus dicere. Hæc Deus; ſed quo in Scripturæ libro ita loquitur Deus? Neſcio equidem quot in locis Veteris, novique Teſtamenti, præcipue vero per ſanctum Paulum, nobis dicentem: *Quod ſi nos dijudicaremus, non utique judicaremur a Domino.* (*1. Cor. 11.*) *Ex primis Sermonibus P. Bourdaloue Tomo 3.*

Bona, quæ inveniuntur in corpore pœnitenti Sancti hujus.

Multa inveniuntur bona in terris in corpore pœnitenti Sancti hujus. Hoc eſt adeo ſubjectum ſpiritui ſuo, ut nunquam rebellet adverſus ipſum; ſine murmure obedit omnibus voluntatibus ejus. Pœnitentia fidelis gloriæ imago illud ita ſubjecit, ut nullus in eo deprehendatur motus moleſtus, qui juſtorum patientiam exerceat, & qui ex eo non eliciat, ut olim ex S. Paulo, votum illud cum ſuſpiriis, & ejulatu: *Quis me liberabit a corpore mortis hujus?* Videtur Beatus hic non manducare amplius ex neceſſitate, ſed ex potentia, alimenta huic non eſſe amplius neceſſaria; & ſi veſcitur, non veſci, ut ſuis ſatisfaciat neceſſitatibus, ſed ut evitet mundi gloriam, & laudem. Nullum habet amplius commercium cum hominibus, & aures illius, quæ non audiunt amplius verba noſtra, ſingulis noctibus audiunt concentus Angelorum, quibus recreatur. Sed ut vobis liqueat nullam ei glorioſi corporis deeſſe qualitatem, ſciatis oportet, eum tantum reſurrectionis Domini ſui eſſe participem, quantum crucis ejuſdem particeps fuit. *Ibidem.*

S. hic Pœnitens ſibi blanditus non eſt in ſua pœnitentia.

Satis omnibus perſuaſum eſt, ad veram peccatorum pœnitentiam faciendam, & conſequendam eorum veniam ſincere peccatis eſſe abrenuntiandum, & credere volo neminem ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, qui non habeat deſiderium, & re

te ipſa non curet inire conſilium pœnitentiæ peragendæ, ſine quo ſcit confeſſionem inutilem futuram. Sed prima illuſio, quam deprehendo, & quæ omnium eſt vulgatiſſima, hæc eſt quod hoc conſilium ſemper in conſilii natura conſiſtit, & determinatio, quæ ſtabilis, ac firma videtur, quæ etiam exprimitur fallacibus verbis, quæ & Confeſſarium, & pœnitentem illudunt, ſimplex ſemper eſt determinatio, non autem effectus. Nobis autem blandimur, nobis verum eſſe vitæ mutandæ propoſitum, & ab omnibus flagitiis abhorrendi; ſed cum effectus non ſubſequatur propoſitum, conſilium hoc ut plurimum chimœricum eſt. Hac in re Deum fallere non poſſumus, qui renes ſcrutatur, & corda, ſed plerumque noſmetipſos decipimus accipientes cogitationes mentis noſtræ pro affectionibus cordis, & noſtræ imaginationis commenta pro veris voluntatis noſtræ conſiliis. E contra ſi ad examen revocaverimus Sancti hujus Pœnitentis factum, intelligemus, illum ſibi nequaquam blanditum fuiſſe & fideliter pro virili parte quantum in ipſo erat, contuliſſe veræ, ſinceræque pœnitentiæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pœnitentia propriorum criminum facienda.

Siſcitabimini, quænam vobis inſtituenda ſit peccatorum veſtrorum pœnitentia, & reſpondebo vobis, ut olim Jeſus Chriſtus mulieri adulteræ: *Nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.* (*Jo. 8. 11.*) Magna pœnitentia veſtra erit ferre patienter mala veſtra; configi in cruce cum Jeſu Chriſto; ab hac vita vos convellere in ſtatu triſti, & moleſto, in quo ſit adeo fragilis; eamque, ſi opus fuerit ſacrificare Deo cum humili fortitudine. O quam bona pœnitentia eſt ſeſe tenere ſub manu Dei inter vitam, & mortem! Nonne hoc eſt reparare omnia vitæ crimina, patientem eſſe in doloribus, & præſto ad ſubeundam, ubicumque Domino placuerit, vitæ hujus jacturam, qua adeo perperam abuſi ſumus? *Ex Epiſtolis Domini Fenelon Cameracenſis Epiſcopi de variis Religionis argumentis.*

Magnus hic Sanctus eſt prototypus pœnitentiæ qui nobis oſtendit placita Evangelii non eſſe ardua, & difficilia.

Intuemini in Sancto hoc Pœnitente viventem crucifixi Salvatoris imaginem; ex vita ejus diſcite nihil eſſe in Evangelio, quod amor facere nequeat, ſeveriſſima Evangelii inſtituta facillima eſſe iis, quibus aliquid fortitudinis ineſt: mortificari poſſe corpus non ſine aliquo voluptatis genere; relinqui poſſe divitias, & in ipſa paupertate copiam inveniri; contemni poſſe honores, & ſibi nominis famam conciliare; bajulari poſſe crucem, & in ea delicias invenire; denique glorificari poſſe, poſtquam crucifixus fueris; quandoquidem Sanctus N. adeo feliciter crucem cum gloria conjunxit. *Panegyricus S. Franciſci apud P. Senault.*

Cauſſæ quæ prætexũtur, ut noſmet a pœnitentiæ officiis diſpenſemus.

Cum vobis exhibetur Dei Filius manus habens clavis terebratas, & caput ſpinis coronatum veſtram cauſſamini imbecillitatem, atque illius potentiam; dicitis illum Deum fuiſſe, vos autem homines eſſe; illi æque facile fuiſſe dolorem ſuperare, ac dæmonem vincere, & ob futiles has cauſſas voſmet ab officio veſtro diſpenſatis. Sed quid dicetis de vobis propoſito exemplo? Quid dicetis de hoc Pœnitente crucifixo, quem vobis ob oculos poſui? Nonne homo erat, uti vos? Nonne iiſdem circumdatus erat infirmitatibus; & illius anima licet generoſa, non ne non ſecus ac veſtra in fragili, mortalique carne erat incluſa? Attamen ille toto vitæ ſuæ tempore egit pœnitentiam, ſenſibus ſuis negavit, non equidem dico, eorum deſideria, ſed neceſſaria. Excepit ille corpus ſuum tanquam infenſiſſimum hoſtem, vixit in omnium contemptu, in paupertate, in dolore, atque ad virtutis cumulum, geſtavit Crucem, ac vulnera Domini ſui. *Idem.*

Timendum nobis eſt, ut S. hic Pœnitens aliquando nos accuſet, & damnet.

Non veremini ergo, ut vos aliquando crucifixus hic vos damnet, & Sanguis de vulneribus ejus defluens ſit atramentum illud, quo ſcribatur, vel ſignetur juſta mortis veſtræ ſententia? Vobis mihique magis reformido Sancti hujus, quam ipſius Jeſu Chriſti plagas. Hæ pro nobis quidem miſericordiam deprecantur, illæ vero contra nos ultionem depoſcunt. Hæ noſtrum nobis ingrati animi vitium exprobrant; ſed illæ noſtram exprobrant ignaviam. Hæ nobis ſuggerunt excuſandi modos: illæ hos nobis eripiunt, noſque erudiunt, ſi minus ea patimur, quæ paſſus eſt N. nobiſcum tantum nobis eſſe ſuccenſendum. Petamus igitur participes fieri paſſionum ejus; oremus, ut ille nobis ſua ſtigmata inurat, & pœnitentiæ amorem inſpiret. *Idem in Panegyrico S. Franciſci.*

Pœnitentia eſt æternarum pœnarum compendium.

Ignorare nemo poteſt pœnarum æternitatem deberi, & paratam eſſe uni tantum mortali peccato; & hanc æternitatem nulla ratione evitari poſſe niſi per pœnitentiam. Igitur pœnitentiæ magnitudo ſecundum hanc menſuram æſtimanda eſt. Sceleribus noſtris æternum meriti ſumus ſupplicium; nobis per pœnitentiam efficiendum eſt, ut eruditus quidam Auctor ait, quoddam veluti *Compendium ignium æternorum*. Si igitur compendium eſt, eorum æternitatem exprimat neceſſe eſt durationis diuturnitate; compenſet opus eſt inutiles damnatorum deſperationes ſuſpiriis, & vivæ, ſinceræque pœnitentiæ doloribus; ignibus, ac tormentis loci hujus ſuppliciorum ſubroget jejunia, cilicia, aliaſque ſeveritates, quas verus dolor inſpirat; verbo, hæc pœnitentia aliqua cum ſimilitudine facere debet, quod Divina faceret aliquando juſtitia, ſi ita miſeri eſſemus, ut illam nollemus prævertere: *Compendium ignium æternorum.* Scio equidem in compendio non requiri totam extenſionem ejus rei, cujus compendium eſt; verum nonne compendium hoc omnes continere debet proportiones rei ipſius? Ita ſicuti per noſtrum ſcelus promeriti ſumus maximum omnium ſuppliciorum; opus eſt, ut pœnitentia, quæ juſtitiæ locum tenet, nobis inferat pœnam, quæ ratione habita viſnerium noſtrarum maxima ſit omnium pœnarum: alioquin timendum eſt, ſi minus pœnitentia noſtra, quæ divinæ juſtitiæ ſupplementum eſt, quo nomine ab erudito Theologo appellatur, non ſatis fuerit congrua, Deus viciſſim juſtitia ſua noſtræ ſuppleat pœnitentiæ; videlicet ſuppleat ignaviæ noſtræ, atque tantum in nos ſeveritatis exerceat, quantum in noſmet in præſentiarum indulgentiæ adhibemus. *Ex Dominicali Auctoris Sermonum in omnia argumenta. Tomo 1.*

De gaudio, quod in cælo gignit peccatoris converſio.

Nihil peccatoribus majus ſolatium, aut confidentiam, vel converſionis celeritatem afferre poteſt, quam Evangelii Parabola. Salvator pluribus in locis teſtatus fuerat ſingularem ſuam erga peccatores benevolentiam, ſalutis eorum deſiderium, ſollicitamque curam eos convertendi; verba, facta, parabolæ, omnia prodebant viſcera miſericordiæ divini hujus Salvatoris. Non veni vocare juſtos, ajebat ille, ſed peccatores; bene valentibus non eſt opus medico; ægris pharmaca propinantur. Si peccatoris imaginem nobis adumbrat in evagatione filii prodigi, ſuam quoque proponit in optimo libidinoſi hujus filii parente, qui illum alacriter cum tanto gaudio, feſtinatione, hilaritate excipit, ita ut fratri conflaret invidiam. Denique myſterium Incarnationis Verbi, nativitatis Domini, vita ejus mortalis, & mors valida ſunt argumenta illius amoris, quo Deus complectitur homines, & deſiderii illius, quo peccatorum ſalutem quærit, & urget; ſed duplex parabola, quam in hoc proponit Evangelio, ſuperare videtur quæcumque alia miſericordiæ ſuæ monumenta. Se Patrifamilias comparat, centum oves habenti; qui ſumma ſollicitudine earum curam gerit, omneſque peramanter complectitur; nihilque intentatum relinquit, ne earum quævis aberret. Ipſe eas agit in optima paſcua, & arcet lupos ab ovili. Nihilominus, licet omnem vigilantiam, & curam adhibeat omnem, una earum deerat: Bone Deus! quænam tunc amantiſſimi Paſtoris cura eſt? quid non agit? Quem laborem non aggreditur, ut deerrantem inveniat, & reducat in paſcua? Diceres ſalutem ovium nonaginta novem, quæ reliquæ in ovili ſuperſunt, tantam illi non afferre voluptatem, quantum affert dolorem unius jactura. Relinquit alias unam illam quæſiturus, qua inventa, quænam ejus eſt lætitia, quæ voluptas? Quin huic ſubiraſcatur, agatque illam ante ſe, ut intra ſepta cogat, imponit eam in humeris ſuis, ut eidem itineris laborem auferat, & ſuavi hac onuſtus ſarcina triumphantis inſtar in ovile ſuum ingreditur; neque ſatis eſſe putans illam recuperaſſe, vult omnes amicos ſuos gaudii ſui participes fieri. Salvator amabilis ſub hac imagine ſe ipſum deſcribit. Invenite, fingite vobis argumentum, colores, locutionem, ſchema aliquod magis aptum ad ſuavem nobis confidentiam injiciendam. En aliam parabolam, quæ non minorem grati animi ſenſum, & converſionis deſiderium in peccatore ciere debet. Mater familias argenteum nummum amittit; quare ſummo dolore conficitur. Quot ſe non torquet laboribus, ut illam inveniat! Lucernam accendit, omnia evertit loca, omnem ſus deque domum evertit, omnes ſcrutatur angulos, donec tandem invenit illam. Quæ tunc animi exultatio, quæ gaudii ſignificatio, qui intemperantis lætitiæ clamor! Diceres, illam omne bonum ſuum, quod amiſerat, reperiſſe: Ita, Dominus addit, gaudium erit in cælo ob reditum, & converſionem peccatoris, qui cum per peccatum interiiſſet, tandem gratiæ victas dat manus. Poſt hæc autem adhuc aliæ expetuntur cauſſæ, ut quis ſe convertat! *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 5.*

Peccator differens converſionẽ excuſari nequit.

Peccator eſt inexcuſabilis ſi poſt adeo urgentes ſollicitationes, tantamque Dei benevolentiam ſe non convertit, & differt adhuc pœnitentiam. Quam enim prætexere cauſſam poteſt ſuæ pertinaciæ? Quantulumcumque adhuc religionis ſuperſit; poteſtne quis ignorare periculum æternæ infelicitatis, ſi velit adhuc vivere in peccatis? Niſi hoc ignoretur, quid retinere poteſt hominem, cui ſuperſit adhuc lux recti ſenſus, & aliquod religionis principium, ne ruat in præceps, tunc etiam, cum tenditur ei manus, quæ retrahat illum; quid inquam illum retinere poteſt in ſtatu peccati, cum etiam Deus illi ſuam exhibet gratiam? Nunquid ſeveritas Dei jure irritati flagitiis, & ſceleribus ejus? Sed tandem poteſt ille non prævidere gaudium, quo univerſa Cælorum patria exultabit propter illius converſionem, reditumque, poſt hanc Evangelii noſtri parabolam? Poteratne Salvator aliquid dicere aptius ad ſedandos furores noſtros, ad timorem noſtrum auferendum, ad levandum ruborem noſtrum, nobiſque immittendam in miſericordia ipſius confidentiam, quam hanc parabolam? Cælum univerſum magis gaviſurum eſt noſtra converſione, quam juſtorum perſeverantia. Deus ipſe, ut ita dicam, ſibi gratulatur de reditu noſtro ad ſe. Quantum terribilis eſt peccatori in peccato morienti, tantum ſuavis eſt, compatiens, miſericors, præveniens, indulgens peccatori peccata ſua in hac vita deteſtanti. Mors in peccato ignes æternos accendit, & Dei provocat iracundiam, armat ultionem illius in omnem æternitatem contra peccatorem in peccatis morientem; converſio autem peccatoris, ſincerus illius dolor, & pœnitentia exarmat iram Dei, iterum accendit omnem illius benevolentiam erga peccatorem, efficitque, ut omnium criminum illius obliviſcatur. Et poſt hæc differtur converſio? Peccator adhuc vivit, & moritur in peccato? *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Quo Dominus magis miſericors eſt, eo peccator obſtinatior eſt, & fit nocentior.

Quo magis Dominus erga peccatorem miſericors eſt, eo nocentior peccator eſt, ſi in ſua rebellione perſiſtit contra Patrem adeo bonum; nihil melius oſtendit juſtitiam adeo ſeveri ſupplicii, quo Deus ita pertinacem punit nequitiam, quam impia

Impii peccatoris in peccato obſtinatio. Scrutamini ſenſum parabolæ, quæ tantæ conſolationis repleta eſt. Tandiu, ut ita dicam, mœrore affeciſtis Cælum univerſum impuriſſimo vivendi genere: hodie poteſtis Cælum univerſum afficere lætitia per ſinceram converſionem veſtram ad Deum. Ne cunctemini ergo, neque differatis ad horæ dimidium, neque ad breve momentum afferre Sanctis Angelis lætitiam vobis utiliſſimam futuram. Si nondum temet convertiſti, convertere, hoc ipſo temporis articulo per actum perfectæ contritionis, & per integram confeſſionem. Si jam te convertiſti; inſtaura converſionem tuam interioris pœnitentiæ renovatione, & recentibus actibus Contritionis ſæpe per ſingulos dies repetendis. Tibi non ſufficiat unius converſionis affectus; illam per effectus proba, præbe hodierna die recentia illius argumenta ſive per ampliorem confeſſionem, ſive per officioſam viſitationem illis præſtitam, cum quibus in gratiam rediiſti, ſive per opera miſericordiæ. Elice profeſſionem magis apertam pietatis, & ſanctimoniæ. Non vulgarem eroga eleemoſynam animo reparandi quidquid injuſte fortaſſe peccaveris, licet te fallat. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

Senſus veri Pœnitentis.

Quo magis me attollere conabor, eo minus in decidendi diſcrimine verſabor; & quo magis ad id contendam, quod ſanctiſſimum eſt in officiorum meorum obſervantia, eo minus metuam ne in iis, quæ magis eſſentialia ſunt, deficiam. Verum licet hoc ineam conſilii, quod coram te, & non ſine gratia tua capio, non audeo aſſerere me illud caſte, integreque in conſpectu tuo ſervaturum. Donec vixero, plurima mihi excident errata; & donec mortali hoc corpore indutus ero, nimis triſtes humanæ conditionis effectus experiar; verum ſaltem proponens ea ſemper facere, quæ ſuperent ea, quæ facere teneor, me in eum ſtatum adducam, ut non deficiam in iis, quæ majoris momenti ſunt, & invigilans ſanctificationi meæ, effugiam occaſionem, ac periculum memet prævertendi. *P. Bourdaloue in ſpiritualibus receſſibus.*

Comparat J.C. peccatorem filio viduæ, quem a mortuis revocavit.

Quid dixit Jeſus Chriſtus filio viduæ, quem ſuſcitavit? Dixit illi, *Adoleſcens tibi dico, ſurge*. Opus eſt, ut peccator, qui ſincere converti vult, ſurgat e tumulo ſuo. Videlicet nulla eſt, nec vera converſio, niſi peccator omnes exerit conatus ſuos, ut de peccato referat victoriam. Mundus ignavis plenus eſt in ſcelere ſuo languentibus. Peccati effectis deterriti, conſilium aliquando capiunt ex erroribus ſuis emergendi; ſed ubi illis ſuades, ut pro viribus ſurgere conentur, conſilium hoc ſtuporem illis injicit, & abjiciunt animum. Nolunt ullis ſibi ſumptibus, laboribuſque ſtare pœnitentiam. Clamante Mundi Salvatore, *Surge*, tanta eorum eſt mollities, ut nolint ſibi quidquam faceſſere negotium; manent in mortis lectulo. Dei Filius quærit, ut ſibi vim faciant; hanc vim poſtulat, & ſine hac nunquam eos ſuſcitabit. *Tomo 4. Anni Evangelici.*

Vis, quam ſibi inferre debet peccator, ut ſuperet peccatum.

Primum quidem exigit, ut vobiſmetipſis vim inferatis ad ſuperanda peccata. Cum enim vos Deum dereliquiſtis, ac dæmoni ejus inimico ſerviiſtis; peccatum auxit vires ſuas, altaſque jecit radices in animas veſtras. Peccatum fortius, ac validius eſt deliberationibus veſtris, quæ adhuc nutant, & infirmæ ſunt. Hic rapidus eſt torrens, qui ſecum rapit quidquid ipſi objicitur. Putaſne te repente violenti hujus fluminis pernicitatem cohibiturum? Tempore opus eſt, multiſque conatibus. Vim tibi facias oportet; pluries admovendus eſt huic vulneri ignis, antequam convaleſcat. Animos deſpondere non debes, cum hoſtis robuſtus, & acer aliquam de te refert victoriam. Innocentia nonniſi multis laboribus, & poſt plurima certamina reparatur. Cauſſam affert S. Auguſtinus; ſi enim facile repararemus ſemel amiſſam innocentiam, illam iterum, ac ſæpius amittere conſueſceremus, quod ſine labore haud ægre reparaviſſemus. Peccator videns quanti ſibi ſtet eum, ex quo ſemel decidit, ſtatum adipiſci; diligentius ſervabit theſaurum, quem tanta difficultate vix poteſt reparare. *Idem.*

Progreſſus quos efficere debet pœnitens, ubi vicerit peccatum.

Multum profecit peccator, cum eo pervenit, ut peccatum vinceret, & ab eodem recederet. Nondum tamen hoc totum illud eſt, quod ab illo expetit Jeſus Chriſtus. A peccatis ceſſare, & patrata delere ſcelera, duo ſunt, ſimul non perturbanda. Cum recens non conflatur æs alienum, non ideo illud, quod antea conflatum fuerat, diſſolvitur. Exigit ergo Jeſus Chriſtus, ut non mediocres conatus exeramus, ad hoc, ut veteribus noxis ſatisfaciamus. *Anni Chriſtiani Tomo 4.*

Licet Sanctus hic a lethali peccato eſſet immunis, tamen vitã duxit pœnitentem.

Sed quin S. Ambroſii rationibus utar, nonne ſatis eſt a me vobis exhiberi exemplum S. N.? Innocens erat, & per eam gratiam, quæ noviſſimis hiſce ſæculis eſt infrequentiſſima, in Baptiſmali innocentia perſeveraverat; tamen erat pœnitens uſque ad vigilias, jejunia, flagella. Non parcebat ſanguini ſuo, cum Deo ſatisfacere vellet, & licet nullius ſibi criminis eſſet conſcius, niſi eorum, quæ ne juſti quidem evitare poſſunt; tamen non ceſſabat quominus in ſe tanquam nequiſſimum hominem animadverteret. Nos vero per execrabilem ignaviam nocentes ſumus, & eſſe nolumus pœnitentes; gloriamur de infirmitatibus noſtris, & pharmaca pudet epotare; crimina criminibus agglomeramus, & ſemper pœnitentiam differimus. Attamen nulla ſalus eſt peccatoribus ſine pœnitentia, & quoniam divinam læſimus Majeſtatem per impotentiam, opus eſt, ut illi ſatisfaciamus per pœnitentiam, atque dolorem. *P. Senault in Panegyrico S. Nicolai de Tolentino. Tomo 2.*

Quid faciendum ſit, ut Sãcti hujus pœnitentis exemplũ ſequamur?

Manus noſtras commodemus divinæ juſtitiæ, ut illam ulciſcamur, & noſmet puniamus. Exequamur Judicia, quæ protulit in peccatores, & in noſmet ipſos carnificum miniſterium exerceamus, & ſuppliciorum noſtrorum ſeveritatem magnitudini ſcelerum aptemus. Oremus Sanctum, cujus hodierna die colimus ſollemnitatem, ut nos animet contra nos, ut nos participes faciat luminis ejus, cujus ope in ſemet minimas etiam labes detegebat, illius ſeveritatis qua in ſeipſum acerrime animadvertebat, & inflammati zeli, quo tanto cum furore ſæviebat, in ea, quæ Dei legem, ac honorem lædebant. *Idem.*

Nõ adquieviſſet Deus promiſſis Ninivitarum pœnitentiã ſe facturos promittentium, niſi illam vere & practice egiſſent.

Si Ninivitæ non reliquiſſent ſcelera ſua, & ſatis eſſe cenſuiſſent eorum pœnitentiam polliceri, ac profiteri, ſe deinceps non peccaturos: putatis ne futurum fuiſſe, ut Deus umbratili huic pœnitentiæ adquieſceret? Non ita, Auditores; factis opus erat; & in hoc adimpleta fuit, Sanctus Auguſtinus inquit, Jonæ prophetia, qui prædixerat fore, ut intra dies quadraginta Ninive ſubverteretur: *Aliter quidem hominibus, aliter Deo viſum eſt: Ego impletum puto, quod Propheta prædixerat.* Everſa ſunt Ninivitarum vitia. Ninive non fuit ultra voluptuoſa illa Ninive, ac deliciis abdita. Mutatio ejus, quæ vim habuit mulcendi iram Domini, fuit omnimoda vitiorum ejus ſubmerſio; & quin in ruderibus contumularetur, luxum, ac libidines ſuas ſub cinere pœnitentiæ ſepelivit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quomodo Sanctus hic ploraverit, & egerit pœnitentiam.

Simulac Sanctus N. ſuum crimen confeſſus eſt, *prorupit ad lacrimas*. Uti noluit verbis, quæ fallere poſſunt, lacrimas adhibet, quæ doli, ac fraudis ſuſpicione vacant: *Sermo in precando forte fallit, lacrima non fallit*. Verum eſt lacrimas non loqui, tamen ſecretam habent vocem, quæ in Cælo auditur; quam ob rem Propheta Deum deprecabatur, ut lacrimarum ſuarum vocem exaudiret: *Exaudi vocem fletus mei.* (*Pſalm. 7.*) Non poſcit criminum ſuorum veniam, ſed hanc obtinent gemitus. Mavult plorare cauſſam ſuam, quam perorare; *Maluit*, Sanctus Ambroſius ait, *cauſſam flere, quam dicere*; arbitratus enim energetica verba exprimere nequaquam poſſe totum dolorem ſuum, credidit ſibi confugiendum eſſe ad compendioſum lacrimarum ſermonem, qui locum teneret eorum omnium, quæ dicere poſſet ad judicis iram flectendam. Et ſane nihil eſt validius, & magis efficax ad peccata delenda, & promerendam Dei miſericordiam, quam lacrimæ pœnitentiæ. S. Gregorius ait, eas fontem fuiſſe, quo Magdalena inſignis illa peccatrix abluta eſt, & quo S. Petrus ſcelus ſuum eluit; Sed opus eſt, ut caritas, & gratia eliciant lacrimas, & hæ ex imo ſcateant corde, ut divinam hanc virtutem obtineant: animæ quippe juſtificatio ſupernaturalis eſt effectus, qui nonniſi per ſpiritualem cauſſam produci poteſt, & cum peccatum coaleſcat in corde, deſtrui nequit niſi in loco, ubi duxit originem; opus eſt etiam ut lacrimæ, quibus deletur, amaræ ſint, & peccatum in cor per voluptatem ingrediens, inde non exeat niſi per dolorem. *Ex Specimine Panegyricorum pro die feſto Sancti Petri Tomo 1.*

Dei erga peccatores pœnitentes providentia.

Nos opera noſtra ſequuntur; neque ea aliis cedere poſſumus. Admiremur infinitam Domini noſtri ſapientiam, & nullis cancellis circumſcriptam illius miſericordiam. Qua patientia ſuſtinet ille peccatorum aberrationes, & qua illos excipit humanitate ad paternam domum redeuntes! Ejus lætitia, liberalitas, exultatio in reditu prodigi filii tanta eſt, ut filio natu majori invidiam creet. Nonne exuberans cordis mei gaudium mihi ſignificandum erat? bonus hic Pater ait. Tales ſunt Dei ſenſus erga peccatorem pœnitentem. *Perierat.* Manuum mearum opus, imago mea, ſimilitudo mea, pretium ſanguinis mei *perierat*; hodie vero iterum in hujus boni poſſeſſionem ingredior. *Mortuus erat.* Hæc anima erat, de qua ſpem omnem abjeceram, centies ſollicitata, requiſita me repulerat, atque contempſerat; omnes conatus mei in irritum ceſſerant, in peccati ſomno erat ſepulta. Hodie contra omnem ſpem impius hic aurem præbuit voci meæ, ceſſit amantiſſimis gratiæ meæ ſollicitationibus, avertit ſe ab impietate, in qua vixerat, pertæſus impuritatum ſuarum redit ad me, proſtratumque ad pedes meos illum inter ulnas meas peramanter excipio, & in cor ſubmiſſum, emollitum, ac docile ingredior. Video rebellem hunc filium execrantem defectionem ſuam, deprecantem miſericordiam meam, & ad clementiam meam confugientem. Cur mihi non liceat hac victoria frui? Tenebar illius ſubire jacturam, licet unice illum diligerem; non obſtat ultra, ne meo ſatisfaciam deſiderio eumdem felicem efficiendi. Quodnam majus gaudium creare poteſt creatura ſuo creatori? Juſtum e contra meis beneficiis cumulatum, ſi poſtquam per otium guſtavit dulcedinem dilectionis meæ, & bona illa expertus eſt, quibus perfruuntur mihi fideliter ſervientes; ſi quando capitur tædio ſervitutis meæ, ac faſtidit Domini ſui amantiſſimi delicias, & optimi Parentis illecebras; ſi moritur in erroribus ſuis; ſi moritur mihi infenſus, ac inimicus, nonne mihi in illum erit animadvertendum tanquam in rebellem filium, nonne illum miſeræ reproborum calamitati tradere debeo? Oblitus eſt ille gratiarum, & beneficiorum meorum; nonne æquum eſt, ut ego bonorum operum illius obliviſcar? Nonne juſtum eſt, ut in eum tanquam in impium ultio mea ſæviat, quandoquidem mortuus eſt in peccato ſuo? *P. Croiſet.*

In pœnitentia tantum lacrimæ non ſunt ſteriles.

Proprie loquendo lacrimæ factæ ſunt pro pœnitentia; ceterum nulli rei proſunt. Si enim quis jacturam paſſus fuerit conſanguinei, amici, nominis ſui, vel ſuorum bonorum, ac ploret quoad voluerit, lacrimæ illum magis, magiſque torquebunt. In ſola pœnitentia non ſunt ſteriles, quia nos eluunt, &

multiplici cum fenore nobis reſtituunt, quod amiſeramus. Denique per illas peccata noſtra feliciter obliterantur. Hæ delent chirographum mortis, quod ſcriptum fuerat contra nos, & quod alioquin in æternum vigeret. In inferno quippe peccatum quidem punit Deus, non autem delet, ac illud ſemper præſens efficit in oculis illius, a quo patratum fuit, ut indefinenter conſpectu ejus auctor torqueatur. Ita ſane, Deus inquit illi, qui propter ſcelera ſua damnatus fuit, te puniam in omnem æternitatem; ego vero, peccator reddit, maledicam tibi in omnem æternitatem: te, Deus inquit, æternum perhorreſcam; & ego te, miſer addit, æterno proſequar odio. Infinitis ſæculis, Deus ait, exercebo in te ultionem meam: ego autem, reſpondet infelix, te jugibus blaſphemiis laceſſam. Juſtitia hæc peccatorem domat, ac ſubigit, non convertit. Sola pœnitentia peccatum deſtruit, & ad nihilum redigit ſeparans voluntatem peccatoris ab affectu criminum, efficitque ut revertatur ad Deum ex tota cordis ſinceritate. Hæc eſt ampliſſima, ac præſtantiſſima, quæ fieri poſſit ſatisfactio, quoniam ab amore procedit & dolore numinis læſi. Hoc unicum eſt ſpectaculum quod Cælo afferre valeat lætitiam; hanc pœnitentiam expectat Deus, & poſcit. Et ſane nihil eum cogit tot annos ſuſtinere peccatorem, niſi ſpes converſionis illius. *Ex Dominicali Auctoris Sermonum in omnia argumenta.*

Non defuerunt pœnitentes, qui exercuerunt in ſe omnia ſeveritatis genera.

S. Ambroſius ait quoſdam fuiſſe pœnitentes, qui, ut ex divina miſericordia peccatorum ſuorum veniam extorquerent, exercebant in ſeipſos omnia pœnarum genera, omnibus voluptatibus nuntium mittebant, nullas lacrimis ſuis permittebant inducias, in vultibus ſuis mortis ſpeciem præſeferebant, & qui ad tempus ſibi impoſuiſſe videbantur inferni pœnas, ut ſe ſe ab illis in æternum liberarent: *Cognovi quoſdam ſulcaſſe vultum lacrimis, exaraſſe continuis fletibus genas, ſtraviſſe corpus ſuum calcandum omnibus; jejuno ore ſemper, & pallido, mortis ſpeciem ſpiranti in corpore prætuliſſe.* (*Lib. 1. de pœnitentia c. 16.*) *P. Senault in Panegyrico S. Nicolai Tomo 2.*

Monitum ad peccatores, ut agant pœnitentiam.

Hic idem Sanctus alibi peccatores ad pœnitentiam invitans, ſalutaria illis præbet conſilia, quæ tantum abeſt, quod mundus nequam ſequatur, ut ne noverit quidem: *An quiſquam illam pœnitentiam putat, ubi* graſſatur *adquirendæ ambitio dignitatis?* Putaſne te agere pœnitentiam, cum ambitione captus ad honores anhelas, ac temet novis criminibus implicas, ut novas aſſequaris dignitates? *Ubi vini effuſio?* Cum noctes, dieſque inter commeſſationes atque compotationes tranſigis, cum te mero proluis, & obliviſceris jejunium eſſe partem pœnitentium? Cum licitis etiam voluptatibus non abſtines? Scias ad divinam juſtitiam mulcendam libidinis tuis irritatam, abrenuntiandum eſſe ſæculo, noctes in oratione traducendas eſſe, & in lacrimis impendendum eſſe tempus, quod ſomno natura deſtinavit. Denique ita vivendum eſt, ut rebus omnibus moriare, & vita tua ſit imago mortis prolixæ, atque crudelis: *Vivendum ita, ut vitali huic moriamur uſui. Idem.*

Sententia S. Auguſtini de converſione peccatoris, & præſertim Sancti Pauli.

Auream hanc S. Auguſtini ſententiam expendite, non deſperandum eſt de ullo peccatore, quamtumvis nequam, donec vivit, & ſi de illo deſperatur, actus eſt imprudentiæ pro illo preces effundere. S. Leo in eadem eſt ſententia: In hac vita mortali non deſperanda eſt alicujus converſio; ſed omnium optanda correctio eſt ope Dei, qui relevat lapſos, qui nexos ſolvit, qui illuminat cæcos; & aſſerere poſſumus Jeſum Chriſtum nominis ſui gloriam inſignem effeciſſe, deſtinando Sanctum hunc, ut olim ſanctum Paulum ad converſionem omnium gentium, & populorum. Hoc eſt vas electionis, dicit Dominus, quod mihimet reſervavi, ut ferret nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael. S. Paulus converſus factus eſt inſtrumentum converſionis univerſorum. Converſio illius converſio fuit totius mundi. Hoc illius munus erat, hoc officium donec vixit in terris; hoc etiam magnum illius eſt opus, & jucundiſſima victoria in cælis. Non ceſſat, quominus vacet peccatorum converſioni & exemplo, & precibus, & doctrina. Sola converſionis ipſius memoria magnam vim obtinet in cordibus; nam, ut S. Bernardus ait, peccator hinc ſpem concipit veniæ, quæ illum ad pœnitentiam agendam excitat; & qui hujus conſilium cœpit, in illo invenit perfectæ converſionis exemplar. Diſcite ex hoc Apoſtolo, quid vobis faciendum ſit, ut valeat veſtræ converſionis gratia, ut ille aliorum converſionem procurando. Gloria enim illius, qui convertitur, eſt cum fervore operari; & ſicut acies oculorum hebeſcit, cum agere nequit, ut accidit illis, qui diu in carceris tenebricoſi caligine detinentur; ita virtus interit, cum iners eſt. Illius exercitium eam ſuſtinet, atque tuetur. Vobis igitur ſatis non ſit ad Deum converti, niſi ex abyſſo, ex qua vos emerſiſtis alios longe plurimos eruatis. Hodie unus ſanctus Paulus in terram proſtratus fuit; ſed cum illo mundus omnis conſurrexit. *Vita Jeſu P. Novet.*

Pœnitentia in nobis eũdem ac in Ninivitis effectũ producere deberet.

Si quis ingreſſus fuiſſet in Ninive aliquot dies poſt Jonæ prædicationem, inſcius quid accidiſſet, proculdubio obſtupuiſſet videns adeo univerſalem mutationem. Quæſiviſſet proculdubio, ubi eſſent illa theatra, atque ſpectacula, quæ antea ibi videbantur; & admiratione perculſus fuiſſet non audiens ultra verba fieri de ludis, conviviis, atque ſolatiis, neque amplius cognoviſſet urbem illam, adeo fuerat immutata. Hoc ipſum nobis accideret, ſi pœnitentia, quam agimus, vera eſſet, atque ſincera. In ea, quam in nobis pareret, immutatione, qui antea nos in ſtatu peccati cognoverunt, poſt converſionem non amplius cognoſcerent nos. Sed Chriſtiani facile cognoſcuntur poſt pœnitentiam, quia nulla in iis immutatio contingit. Illos invenis in iiſdem habitibus, & iniquitatis operibus; eaſdem in illis affectiones deprehendis, eadem ultionis deſideria, eumdem voluptatum amorem. Dicamus igitur audacter, pœnitentiam eorum non eſſe veram; aperta enim reliquiſſet veſtigia; luxum hunc omnemque vanitatis apparatum reliquiſſet; obtruncaſſet has viſitationes, hæc colloquia, integram vitæ mutationem peperiſſet, quoniam hic naturalis eſt veræ pœnitentiæ effectus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Fructus quos debemus recipere ex Sancti hujus pœnitentia non ſecus ab illa filii Prodigi.

Ecce, Auditores, fructus ex magni Sancti hujus pœnitentia a vobis percipiendus; verum quemnam hodie percipere vos docet ex pœnitentia filii Prodigi? Suo vobis oſtendit exemplo, pœnitentem omnes conatus exerere debere, ut e peccatis emergat; Pœnitentem ad criminum ſuorum conſpectum ſemet exinanire debere, & pœnitentem in pœnitentiæ ſenſibus debere perſeverare. Cum Pœnitens ita affectus eſt; omnia expectare poteſt a Dei ſui miſericordia. Vidiſtis jam primos effectus benevolentiæ in Patre Filii prodigi, cujus mihi nunc vobis enarrandæ ſunt miſericordiæ, ut intelligatis quo uſque procedant Dei erga peccatores pœnitentiam agentes, miſericordiæ. Ajo Evangelii noſtri parabolam oſtendere, peccatorem per pœnitentiam aſſurgere poſſe ad gradum altiorem illo, unde excidit. Peccator per virtutem Pœnitentiæ ſuperare poteſt meritis juſtos, qui in gravia ſcelera lapſi non ſunt; ſed dico etiam, illum falſo ex Evangelii noſtri parabola argumentaturum, qui aſſereret tantas eſſe Dei miſericordias, ut ſeſe effundant etiam in peccatores, qui in impœnitentia verſantur, & qui ſeſe convertere negligunt. *Ex Anno Evangelico Lambert. Tomo 2.*

Deus ſemper paratus eſt recipiẽdis peccatoribus contritis, & humiliatis, qui non diſferunt ad illũ reverti.

Quod minus præſto ſit Deus recipiendis peccatoribus ad illum redeuntibus, nequit dubitari; & veritas hæc adeo palam expreſſa eſt in Evangelii noſtri parabola, ut ſatis ſuperque probata eſſet, etiamſi Sacræ Scripturæ non alias rationes alibi afferrent. *Cum adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus; & oſculatus eſt eum. Cum adhuc longe eſſet.* Non expectavit donec filius propius accederet, ut illi amorem ſuum teſtaretur: *miſericordia motus eſt*. Amabat ergo filium hunc, licet aberrantem, ingratum, inobedientem. Major ne oſtendi poteſt ſollicitudo? Ruit in collum ejus, illum amplectitur: quinam amor! quæ bonitas! quæ miſericordia! Amor cum verus eſt, non hæret in ſimplicibus ſignificationibus; ſtatim gradum facit ad effecta. Prodigus hic filius pulcherrima induitur purpura, alioquin non potuiſſet intereſſe convivio, quod illi parari juſſerat Pater. Peccatores igitur cum per pœnitentiam purgantur; adeſſe poſſunt cœnæ, in qua panis, qui manducatur, caro eſt Jeſu Chriſti. Dixi, cum per pœnitentiam purgantur; vereor enim, ne peccatores in ſemetipſis fallendis induſtrii hoc abutantur exemplo & nimis feſtinanter ad ſacra accedant Myſteria. Romæ Clerus ſcribens ad S. Cyprianum ait eos, qui nondum per pœnitentiam expiati volunt communionis ſuæ tempus prævertere, hos non ſalutaria ſibi remedia depoſcere, ſed maturatæ communionis pernicioſum virus recipere. *Pro ſalutaribus remediis exitioſa depoſcunt properatæ communionis venena.* Non igitur inficior peccatores admitti poſſe Domini menſæ, ſed ajo ſolum, ad hoc ut cum fructu fiant divinarum epularum participes, opus eſſe, ut iiſdem ſenſibus affecti ſint, quibus affectum vidimus Filium prodigum. Verum eſt igitur, Salvatorem amare peccatores; ipſum ad peccatores quærendos acceſſiſſe; ipſum in peccatores uberrimas gratias effundere: verum ne omittamus neceſſariam conditionem, dummodo illos pœniteat, dummodo ex Dei documentis proficiant, & faciant fructus dignos pœnitentiæ. *Lambert in Anno Evangelico Tomo 11.*

Quomodo peccatores audierunt vocẽ S. Joannis pœnitentiã prædicantis?

Poſtquam Joannes Baptiſta annuntiavit hominibus glorioſa Jeſu Chriſti conſilia, exercuit miniſterium ſuum. Primi illius conatus fuerunt convertere peccatores, eiſque ſenſus veræ contritionis immittere. Peccatores ad illum fidenter accedunt; etenim ad illum aditus ſuavis erat, & facilis. Procul abſit hinc fallax illud commentum, quod paſſim nominatur, virtutem ſemper eſſe truculentam, armatam, terribilem. Mundi Salvator repulit neminem. Licet eadem eſſet innocentia, tamen qui graviſſima commiſerant ſcelera, certi erant, ſe benigne eſſe excipiendos. Publicani, & Peccatores accedebant ad Filium Dei, beati, qui digni habiti aſpectu illius; ad ejuſdem cor etiam accedebant. Sæpe enim qui accedebant ad Filium Dei in vita ejus mortali, ab illo quam longiſſime aberant; & modo, qui videntur a Salvatore remoti, invenire poſſunt ſecretum accedendi ad ipſum; Propheta enim ait: *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum.* (*Pſalm. 144.*) *Idem Tomo 3.*

Publicani intẽti erant, ut audirent verbum Dei illis pœnitentiã prædicantis.

Accedebant Publicani ad filium Dei, ut audirent illum. Divina ejus doctrina alliciebat omnes, qui illum ſequebantur, & audiebant: Ejus dulcedo, lenitas, eloquentia, in qua, licet ſimplex eſſet, renidebant tamen aliqui divinitatis ejuſdem characteres, ſacri erant nodi, quibus tot populos ad ſui ſequelam attrahebat; eæque inviſibiles erant catenæ, quibus ad ſe omnes voluntates trahebat. In ſeptimo S. Joannis Capite legimus, cum Jeſus Chriſtus magno quodam feſto die ſermonem habuiſſet ad populum, nihil ultra quæſitum fuiſſe, ut omnes uno ore clamarent, homo hic certe propheta eſt.

Alii dicebant, hic eſt Chriſtus. Milites quos Phariſæi, & Principes Sacerdotum miſerunt, ut illum comprehenderent, animum ſuum adducere nequeunt, ut imperata faciant; & ubi reverſi ſunt, ut ſeſe excuſarent, dixerunt: *Nunquam locutus eſt homo ſicut hic homo. Annus Evangelicus Tomo 3.*

Nunquam diſperandũ eſt de peccatorum ſalute; ſed e contra nobis orandũ eſt pro illorum converſione.

Multum orandum eſt pro converſione peccatorum. Obduratiſſimi, pertinaciſſimi in nequitia ſua, & a Deo remotiſſimi, quin eorum nos capiat oblivio, eſſe debent objectum precum noſtrarum ardentiſſimarum; ſunt in via interitus ſui; eorum neceſſitates urgent; pro illis igitur nobis potiſſimnm laborandum eſt. Nonne eſt nocentem eſſe, dormitare, & fratris ſalutem negligere, cum ille tanto eſt obnoxius periculo? Scimus donec peccator ſpiritum ducit, nunquam conclamatam eſſe illius converſionem; ſemper locum habet illud Jonæ Prophetæ: *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur a furore iræ ſuæ? (Joel. 2.) Idem Tomo 4.*

De peccatoribus benemereri poſſunt, qui a mundo ſemoti erant pro illorum converſione.

Illi de Eccleſia perquam optime merentur, qui in ſolitudine permanentes, Deo juges offerunt preces. Seipſos immolant pro ſalute fratrum ſuorum; ſeſe caſtigant, ut cohibeant Dei brachium jamjam fulmina jaculaturi. Illi de Eccleſia merentur optime, qui in mundo viventes, tanquam in ſolitudine, eo magis noti ſunt Deo, quo mortalibus ignoti ſunt. Clam plorant, & gemunt. Sunt quidem, qui majorem edunt rumorem, & cum majori pompa operantur quam humiles hi pœnitentes; ſed creditur ne id, quod hominum oculos attrahit, ſemper eſſe jucundius illi, qui peculiari prædilectione proſequitur animas humiles? Humilium preces, ſimplicium vota, gemitus ſecreti ſalvant imperia, convertunt peccatores, cient motus, quorum nemo crederet uſquam auctores eſse Chriſtianos, qui latent, & qui omnibus ſeſe mundi negotiis abdicarunt. *Idem.*

Cauſſæ, quas habet peccator mœrendi.

Revoca, ſi potes in memoriam omnia vitæ mala, quæ cor mœrore conficere poſſunt; plurima invenies in peccato tuo, & ejuſdem ſpeciei, & majora, quæ triſtitia debent opprimere: Si quis mœrore contabeſcit eo quod jacturam paſsus fuerit laborum, operumque ſuorum, tu perdidiſti fructum omnem operum tuorum. Si triſtatur, qui exſulare cogitur a Patria, tu exſulas a Paradiſo. Si mœret, qui ære alieno obrutus eſt; bone Deus, quid ipſe non debes Deo? Si triſtitia conficitur, qui ſe infamia laborantem, ac rubore ſuffuſum videt, tu factus es objectum horroris in oculis Sanctorum, & Dei. Si mœrore conſumitur, qui ſe in crudelem carcerem detruſum conſpicit; tu factus es dæmonis, infernique mancipium. Si triſtatur, qui in lectulo languet perículoſo morbo confectus; anima tua mortua eſt. Si mœrore contabeſcit ille, cui magnum auri, argentique pondus diutinis collectum ſudoribus ſurreptum fuit, quot ſupernaturalibus bonis exuſtus fuiſti? Si mœret, qui ſeipſum a pluribus inimicis tueri debet, creata omnia præſto ſunt ut irruant in te, ad hoc ut Deum ulciſcantur. Si dolet, qui jacturam facit Parentis, conjugis, amici, Deum amittens amiſiſti Patrem, ſponſum, amicum. Si triſtitia conficitur, qui in manu eſt inimici; Deus inimicus tuus eſt, & tu in illius poteſtate: Si mœrore afficitur, qui gratiam amittit Domini æque magni, & amabilis: quis major, quis amabilior Deo, qui te odit? *P. la Peſſe. Sermone de dolore Pœnitentis.*

Bonorum ſpiritualiũ jactura ſola eſt, quam lacrimæ reparare valeant.

Lacrimæ, de quibus loquitur Jeſus Chriſtus, illæ ſunt, quæ oriuntur ex dolore, quo ob alicujus boni jacturam afficimur; tamen non ſemper lacrimæ hæ illæ ſunt quas Salvator beatas appellat. Lacrimis proſequimur bonorum direptionem, magiſtratus amiſſionem, amici mortem, & non ideo ſumus ex numero fidelium lugentium, de quibus dicit Evangelium: *beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur.* (*Matth. 5.*) Et ſane videbitur tunc lacrimarum Oceanus; hæ non reparant malum, pro quo effunduntur, neque beatior eſt, qui lacrimas fundit. E contra horum omnium mœrorum inutilitas, nos miſeriores efficit, magiſque inconſolabiles. Sed beati propter lacrimas ſunt, qui illis proſequuntur detrimenta, quæ per peccatum fecerunt: ſoli enim ſunt, quibus dolor reparare poteſt amiſſa bona; ſoli ſunt quibus ploratus, & gemitus afferre poſſunt conſolationem. Bona, quorum jacturam paſſi ſunt, dona ſunt gratiæ, & gloriæ; Pœnitentia in utrorumque poſſeſſionem reſtituit; quam ob rem Jeſus Chriſtus illis beatitudinem, & conſolationem pollicetur: Beati, qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur. *Pater Segneri Tomo 5. Meditationum.*

Pœnitentia eſt ſtatus, quem S. N. amplexus eſt toto vitæ ſuæ ſpatio.

Pœnitentia in Eccleſia ſtatus vocatur ad innuendam ejus conſiſtentiam, & ſoliditatem: dicimus enim ſtatum innocentiæ, & ſtatum pœnitentiæ; & in ipſis Chriſtianiſmi temporibus, pœnitentes ab aliis ſeorſim morabantur, & indumento diſtinguebantur, neque in ſacrorum myſteriorum partem admittebantur niſi poſt diutinam probationem, ex qua ferebatur de converſionis eorum veritate judicium. Apertum hoc diſcrimen hodierna die antiquatum eſt, & Eccleſia, quæ falli non poteſt in conſuetudine ſua, non ſecus ac in doctrina, pluribus in rebus indulſit infirmitati filiorum ſuorum in Pœnitentiæ cauſſa; ſed illos diſpenſare nequit a vitæ immutatione, quia hæc mutatio ad pœnitentiæ ſpectat eſſentiam. At Sanctus hic Pœnitens toto vitæ ſuæ curriculo fideliter veterem morem retinuit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Pœnitentiæ neceſſitas.

Niſi pœnitentiam egeritis, peribitis. Nemo hinc excipitur; generalis eſt comminatio; omnes in pereundi verſantur diſcrimine; omnes igitur peccatores ſunt: omnes ergo indigent pœnitentia. Veritas hæc nullam patitur contradictionem. Omnium una eſt in re hac ſententia; omnes fatentur agendam eſſe pœnitentiam, qui autem agat illam, eſt nemo. Quidam ſe illam pollicentur facturos; alii ſe jam illam feciſſe putant; Primi temerarii ſunt, qui in re adeo incerta, quale tempus eſt, periculo objiciunt æternitatem beatitudinis, vel calamitatis: ſecundi ſunt præſidentes, qui ſatis ſe ploraſſe tenent, ad flammas æternas extinguendas. Dolor, quem vera parit contritio, cum ipſa vita manet; dubito equidem de earum lacrimarum ſinceritate, quarum fontem momento exhauriri video. Sed licet certus eſſes, te abunde pro antiquis peccatis his ſatisfeciſſe, num certus es te ab omni peccato immunem factum fuiſſe? Ex eo tempore ita ne fidelis fuiſti, ut reparare gratiam minime debueris? Hæc nonniſi per pœnitentiam vel petitur, vel obtinetur. Ad hoc igitur præſidium ſatis validum confuge, quo excepto reliqua vel parum valent, vel nihilum. *P. le Neuveille Tomo 40.*

Pœnitentia non in ſola vitæ mutatione conſiſtit, ſed in ſatisfactione facienda Deo pro ſceleribus præteritis.

Hæreticorum ſæculi ſuperioris error eſt credere pœnitentiam conſiſtere in ſola vitæ mutatione. Sed audeo dicere practicum errorem plurimorum hodiernorum temporum fidelium eſſe in ſolo dolore præteriti temporis adquieſcere, quin admodum laborent juſtitiæ Dei ſatisfacere per preces, jejunia, aliaſque id genus auſteritates. *Parum eſt Chriſtiano peccatorum pœnitere*, quidam Pater ait, *niſi & pœnitentiam peregerit.* Itaque hoc pœnitentiæ nomen non ſignificat ſolum ſimplex conſilium relinquendi vitæ flagitia; verum juxta conſuetudinem ſcripturarum nomen hoc ſignificat etiam pœnam, qua illa mulctare debemus, ſimulque complectitur interiorem cordis dolorem, & externas corporis mortificationes. Hac de cauſſa cum Prophetæ populos ad pœnitentiam invitabant, Dei verbis duo ſimul indicebant; *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, atque in hujus converſionis, veræque pœnitentiæ argumentum, lacrimæ, jejunia, aliique rigores, quos hæc virtus inſpirat illis qui vere convertuntur, teſtatum faciunt, vos ſerio, & ex tota cordis ſinceritate converti. *In jejunio, & fletu, & planctu.* Ratio vero petitur ex eo, quod Doctores omnes poſt SS. Auguſtinum, & Thomam docent, pœnitentiam tenere locum ultricis juſtitiæ, quæ pœnas ſumit de peccatore per ipſum peccatorem. *Eſt dolentis vindicta puniens in ſe, quod ſe dolet admiſiſſe.* Ultio eſt, ſatisfactio eſt, quam Deo tribuit peccator, quem pœnitet injuriæ, qua illum affecit. Igitur pœnitere, quin Deum ulciſcamur ſine pœna, & ſatisfactione, non eſt veram agere pœnitentiam: Nam ut idem ſanctus Auguſtinus ait, neceſſe eſt hominem puniri vel a Deo, qui contumelia affectus fuit, vel a peccatore, qui eumdem affecit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quænam ſint cauſſæ pœnitentiæ.

Pœnitentia, cujus ſcopus eſt ſubigere, & mortificare corpus ratione vivendi, quæ ſit prorſus oppoſita vitæ inordinatæ, efficit, ut ſtatim nuntium mittamus noxiis, quæ ipſi etiam noxia eſſe confitemur; mox vero prout in illius viis progredimur, ſuperfluum, quod ipſi innoxium eſſe cenſemus, obtruncat, deinde nos privat commodo, quo nos carere minime poſſe putavimus: denique aufert etiam non quidem neceſſarium, ſed adhæſionem, & nimiam earum rerum, quæ ſunt neceſſariæ, curam. Eximium pœnitentiæ, variorumque illius graduum ſpecimen! Si quid eſt, quo infirmitas noſtra non audet ſperare ſe perventuram, ſaltem ne lateat nos, & illud aſſequi optemus. Efficit, ut noxia abdicemus, videlicet impuras voluptates, quas divina lex prohibet, quia nullum eſt peccatum magis divinæ oppoſitum ſanctitati, & quod minus cum Spiritu ejus ſimul eſſe queat, quam impudicitia. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* (*Geneſ 6.*) Superfluum obtruncat, hoc eſt vitæ delicias; quia nihil eſt difficilius ſimul conciliandum, quam vita mollis, & morum innocentia, & innocentia hæc. Job inquit, *non invenitur in terra ſuaviter viventium.* (*Job* 28.) Nos privat commodo, hoc eſt iis, quæ ad vitam commode ducendam inſerviunt, quæ licet nobis omnino negata non ſint, fovent tamen carnis rebellionem, & aufert etiam nimiam eorum quæ ſunt neceſſaria ſollicitudinem: hoc enim ignotum eſt Sanctis viris placitum, nolle quidquam pati, nihil negare ſibi, nihil ſibi deeſſe, velle, & ne pœnitentiam quidem agere. Sed quod Sancti non aſſequebantur, factum eſt ſecretum devotionis ſæculi. Dici enim poteſt, nullum uſquam ſæculum majori cum oſtentatione locutum fuiſſe, quam noſtrum de pœnitentiæ ſeveritate, & in praxi magis ſibi indulſiſſe in iis, quæ vita ſuavis nuncupatur. Nonne enim aliquando ita ſe excæcat, ut putet rationem ſibi corporis ſui habendam eſſe? Nonne eo uſque procedit, ut judicet nos eſſe mundo neceſſarios, & hanc potiſſimam eſſe cauſſam, ut noſmet a vulgatiſſimis legibus diſpenſemus? Attamen id dixit Apoſtolus; & verum eſt, pœnitentiam, ut ſit perfecta, extendendam eſſe uſque ad odium ſui ipſius, & peccatum ſatis reparari non poſſe, niſi crucifigendo hanc peccati carnem, quæ eſt inimica Deo. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt. Ex Quadrageſima P. Bourdaloue Tomo 1.*

Quam deploranda ſit infirmitas humana tot obnoxia peccatis.

Eheu! quam longe diſtamus a fervore, & ſeveritate primorum diſcipulorum Filii Dei! quam raro lacrimarum donum, tunc temporis adeo commune, invenitur! Tunc propter unum crimen, populus omnis ingemiſcebat; precibuſque cæli iracundiam mulcere quærebat: modo cum plurimi ſint peccatores, vix unus homo invenitur, qui doleat videns Deum quidem affici contumelia, animas vero interire. De neceſſitate plorandi, atque gemendi aliquod argumentum eicimus ex Epiſtola Sancti Jacobi. (*cap. 4.*) Mortificamini, inquit S. hic Apoſtolus, miſeriam veſtram confitemini. Plorate mutetur riſus

riſus veſter in luctum, & gaudium veſtrum in triſtitiam. Generatim loquitur ad omnes fideles, de quibus paullo ſuperius dixerat, Peccamus quotquot ſumus in plurimis. Vult, nos confiteri miſeriam noſtram, ideoque nos indigere miſericordia Dei, ad quam promerendam non ſolum clamores in cælum mittere, verum etiam contritionis ſenſus concipere debemus, quæ riſus noſtros convertat in lacrimas, & lætitiam noſtram in mœrorem. Quid enim prodeſſet aliquot effundere lacrimas, ſi ſtatim noſmet inanibus manciparemus mundi voluptatibus? *Cardinalis Bellarminus de gemitu columbæ.*

Dolor numinis læſi ex corde procedere debet niſi eſt hypocriſis.

Dolor læſi numinis ſincerus eſſe debet, & emergere ex imo corde: alioquin omnia hæc externa, quæ videntur, non aliud ſunt quam hypocriſis mera. Sed ſi dolor iſte ſincerus eſt, & procedit ex corde vere contrito, dolorem hunc certo certius impulſurum hominem ad præbenda apertiſſima indicia odii, quod illi ſuadebit pœnitentia contra peccatum, & hoc armaturum manus illius contra ſe ad ultionem repoſcendam. Hoc ipſi experimur. Quidquid vere odimus, hoc delere conamur; & odium, quo agimur, efficit, ut nullam inveniamus requiem, niſi prius illud poſuerimus extra facultatem nobis nocendi. Hoc ipſum de peccato dicendum. Si illud vere oderimus, ipſum in nobis delere conabimur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. hic vir agnoſcebat Deum plura feciſſe pro ſe, quam Pater filii prodigi pro filio ſuo.

Prodigi filii Pater fecerat ne quidquam pro filio ſuo quod exæquare poſſet omnes favores, & miſericordias, quas debeo Providentiæ Dei mei? Id autem mecum repetere poſſum, quin tenerum animi grati ſenſum foveam, vel id cogitare minime poſſum, quin ſim mortalium omnium ingratiſſimus? Hæc cogitatio Dei, adeo miſericordis, præſertim vero erga me, quamtumvis paulliſper illi meditandæ immorer, certiſſime ope divinæ gratiæ commovebit cor meum; & ſenſus contritionis meæ producet effectus, qui ſunt eſſentiales pœnitentiæ. *P. Bourdaloue in Aſceticis ſeceſſibus.*

Alacriter mihi confugiendum eſt ad Deum, ac coram eodem proſtrato mihi inſtituenda eſt confeſſio ſcelerum vitæ meæ; hæc ad pedes ipſius deteſtanda ſunt, & lacrimis eluenda. (*Luc. c. 15.*) Peccavi, Domine, contra te, non quidem ſemel, uti olim Prodigus filius in Parentem ſuum, ſed toties ferme, quot ſunt momenta vitæ meæ. Non affero inanes excuſationes coram te, neque fictas cauſſas prætexo: mendacii me redargueret cor meum, & ſapientiæ tuæ lumina me pudore ſuffunderent. Peccavi, Domine, magis adhuc, quam ipſe cognoſcam, & quantum tu ipſe cognoſcis, melius quam ego. Omnia audeo confiteri coram te, atque ut deliniam, non habeo quid offeram tibi, niſi amariſſimam confeſſionem, & lacrimas meas. *Idem.*

Chriſtianus inceſſanter plorare debet peccata ſua.

Chriſtianæ lacrimæ non ſunt eſſentialiter exteriores, & ſenſibus ſubjectæ; quæ non prodeunt extrinſecus, ut plurimum ſunt amariores, ac ſinceriores. Vera pietas detegit animæ fideli tres lacrimarum fontes, quæ æque meritoriæ ſunt. Primus eſt peccatum generatim ſumptum, præſens, vel præteritum, perſonale, vel alienum, grave, vel leve; nullum eſt, quod dignum non ſit totius cordis noſtri dolore. Recogita igitur inceſſanter ad exemplum Sancti Ezechiæ Regis omnes annos vitæ tuæ in amaritudine animæ tuæ. Nullum invenies, quod lacrimis tuis eluendum non ſit; Sanctus hic mœror debet ſemper te comitari, ſed in te dominari non debet. Neque enim laudabilis eſſet, ſi vellet ſpem, & caritatem ſuperare. *P. Neuville in morali novi Teſtamenti Tomo 3.*

Chriſtiani ab antiquis Patribus piſces vocantur in aquis Baptiſmi nati, & qui in illis, tanquam in elemento ſuo vivere debent. Sed heu! Quotuſquiſque in cæleſti hoc permanent balneo? Alterum eſt pœnitentiæ balneum, cujus aquæ non ſunt quidem adeo perſpicuæ, ſed aptiſſimæ ad reparandam albedinem jam amiſſam, & ad valetudinem roborandam. Aquæ ſunt lacrimæ, quas pœnitentia elicit de corde, & quæ per oculos fluunt Pœnitentis. Ita fluebant ex oculis David, dicentis: *exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Oculi mei fuerunt duo perennes lacrimarum fontes, non quod filius meus inſurrexit in me, vel quod vidi rebelles populos meos, vel quia validis hoſtibus ſeptus fui; ſed quia non cuſtodivi legem tuam Domine, quia tuis mandatis non parui. Nunquid propter hoc lugetis, mulieres, & facile manant lacrimæ ex oculis veſtris! Heu! aliam omnino ob cauſſam vos inconſolabiles eſtis; ob filii mortem, ob viri jacturam, lugetis; ſed animæ veſtræ mortem, jacturamque gratiæ, ac Paradiſi non lugetis. Attamen opus eſt, ut verus Chriſtianus ſit piſcis, qui ſemper in aquis vel innocentiæ, vel pœnitentiæ vivat; non autem in aquis maris mundi, ubi ferre non poteſt niſi ingentes procellas, ac tandem deplorabili naufragio demergi. *Godeau in Homilia.*

Occaſiones peccati fugiendæ.

Ad veram pœnitentiam agendam ſatis non eſt proximas peccati occaſiones relinquere: inceſſanter fugiendæ ſunt, & eminus fugiendæ: has ob cauſas, 1. Sine pœnitentia nulla ſalus, ſine horrore peccati nulla pœnitentia; nullus horror peccati ſine fuga occaſionis, quæ adeo arctam habet cum peccato neceſſitudinem. Joſeph, quin ſuæ virtuti confideret, celeriter fugit; vicit; David fugam diſtulit; victus fuit. Si tuto incolumem ſervare cupis innocentiam tuam, amove a corde tuo, quantum fieri poteſt, objecta, quæ illud alias inflammarunt; fax non ſatis bene extincta, quam primum concipit flammas, quamtumvis parum ad eam ignis accedat. Ne excidant tibi ex animo hæc maximi momenti monita; fac, ut ſemper in te validam impreſſionem efficiant; Dominum precibus fatiga, ut te illis docilem præbeat. *Ex Morali Novi Teſtamenti P. la Neuville Tomo 3.*

Quinã ſint fructus pœnitentiæ.

Pœnitentiæ fructus ſunt ſincerus dolor, vitæ mutatio, mundi fuga, pomparum ejus contemptus, indumentorum modeſtia, familiæ cura, pauperum amor, in ſacris Officiis aſſidua cura, orationis guſtus, Sanctorum librorum lectio, praxis mortificationis. Tempora admodum mutata ſunt. Olim pœnitentia agebatur in cinere, membra cilicio tegebantur. Modo creditur in mundanis ornamentis agi poſſe. Olim magnus requirebatur annorum numerus ad peccata expianda; modo credimus ſemihoræ precibus expiari: Olim Pœnitentes in copia pauperibus eleemoſynam largiebantur, ſcientes precum eorum auxilium ad Dei mulcendam iram eſſe neceſſarium: modo cenſemus adinventam eſſe artem conciliandi pœnitentiam cum luxu; neſcitur quid ſit peccata eleemoſynis redimere; cum ſanctus noſter N. aliter omnino agere conſueverit, ut enim pauperum egeſtatibus opitularetur, vix ſibi neceſſarium reſervabat. *Lambert in anno Evangelico. Tomo 1.*

Senſus humiliationis & contritionis S. N. pœnitentis.

Quomodo leniam juſtitiam Dei irritatam in me? Ad eam mulcendam, Domine, vel reparanda eſſet noxa, quam tibi intuli, per humiliationem, quæ noxam ipſam æquaret, vel huic noxæ ſatisfaciendum eſſet pœna, quæ eſſet congrua. Neutrum fieri poteſt: & niſi Deus ceſſerit, interii. Quomodo humilians me coram illo injuriam reparabo, qua illum affeci ab eodem deficiens, & contra illum rebellans? Illum offendi, quia legem ejus violavi, & admodum contemptibilis eram coram oculis ejus, cum peccavi; poſt inobedientiam meam æque dignus ſum odio, atque contemptu. Honor quem illi adhibere poſſum, longe igitur minor erit contumelia, qua illum affeci. Hujuſmodi ſemper fuerunt ſenſus hujus pœnitentis. Quomodo vero illi ſatisfacere potero pro pœna meo ſceleri debita? Ullane excogitari poteſt pœna, quæ illatam Deo puniat contumeliam? Si mandata illius non violarentur; ſi peccatum non læderet infinitam illius Majeſtatem, non ita graviter peccaretur, & inveniretur pœna, quæ ſcelus noſtrum expiaret; quoniam id ageretur ſolum, ut creaturæ unius ſupplicium alterius creaturæ contemptum exæquaret. Quam pœnam pati poteſt homo, quæ auferat Deo in omnibus perfectionibus ſuis infinito, jus exigendi ab illo honores ſemper majores? Infirmitas noſtra nos impares omnino facit, qui juſtitiæ illius ſatisfaciamus, *P. de la Peſſe Tom. 5.*

Sanctus hic pœnitens in vita mortificata ſuam percipit voluptatem.

Quænam voluptas fuit fideli huic Dei famulo dicere poſſe: credo infallibiles veritates, ſublimia, & impenetrabilia myſteria, & vitam fidei meæ conformem duco. Adorabilis eſt, incomprehenſibilis, inacceſſibilis. Eam habeo, quam habere poſſum ideam majeſtatis illius; me imperiis ejus ſubjicio, & juſtitiæ, quam nihil fallit, & quæ omnia crimina punitura eſt. Illius me terrent minæ, & ictibus ejuſdem memet conor ſubtrahere. Ego illum non irrito, nec me dignum ultione illius puto. Miſericordia ejus infinita adeo incredibilis eſt infidelitati; benedico illi, illi gratias ago, ejuſque beneficio. Providentiam illius, cujus altiſſima arcana noſtram mentem excedunt, hanc adoro, ejuſque perfectiones, curas, ac illecebras veneror. *Idem. Tomo 3.*

Lacrimæ, & contritio hodierna die pars pœnitentis eſt.

Nihil, ut ſupra dictum eſt, melius decet Pœnitentem, quam fundere lacrimas. Contritio pars eſt illius, qui cum Propheta dicere debet: *Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die, & nocte.* Nec ſolum hæ peccata delent, ſed dicere poſſumus his animam refrigerari; & præcipuam illius conſolationem eſſe lacrimarum aſſiduitate teſtatam facere Deo magnitudinem doloris, quo conficitur eo quod illi diſplicuerit. Nihil eſt, quod Dei ſpiritus melius inſpiret iis, qui ſemel deſeruerunt viam veritatis, ut illam erroris, atque mendacii ſequerentur, nihil inquam eſt in quo magis conſtituat ſinceritatem converſionis peccatoris alicujus, quam in illius gemitibus. Hoc paſſim teſtatus eſt per Prophetas, & Jeſus Chriſtus ſatis aperte hoc profeſſus eſt, cum dixit, beatos eſſe, qui lugent, & ipſe etiam viſus eſt effundere lacrimas. (*Matth. 5. v. 5.*) *Ex libro cui titulus: Regula Sancti Benedicti. Tomo 1.*

Idem ſequitur argumentum.

Hæc eſt diſpoſitio, quam in omnium Sanctorum perſona deprehendimus, & non in iis ſolum qui poſt diuturnos errores redierunt ad Deum, ſed in illis ipſis, quorum vita a crimine fuit immunis. Alii uberes fundebant lacrimas, alii fundebant illas ſenſu earum noxarum, quæ in oculis mundi videntur leves, ſed graves ſunt in oculis eorum, qui diligunt Deum, & qui ſenſu afficiuntur earum rerum omnium, quæ ad illum pertinent, & qui malorum omnium maximum putant, Deum lædere, ac illi diſplicere. Opus eſt ergo, ut Chriſtiani confiteantur peccata ſua in amaritudine cordis ſui, & doleant repetentes præterita crimina, & præſentia cognoſcentes, necnon ſæpe cogitent, ſe a Deo poſitos eſſe, & ſe vivere *in valle lacrimarum.* (*Pſalm. 83.*) Nihil eos melius attollere, & propius ad Deum evehere, quam motus contritionis peccatorum ſuorum. Hæ lacrimæ non ſemper exteriores ſunt; cor illas effundit, & in animas effluunt, eaſque Spiritus ſanctus producit. Denique gratiſſimam quod peccator, & pœnitens offerre valeat divinæ Majeſtati ſacrificium, illud eſt ſui doloris, & contritionis: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Pſalm. 50.*

Notæ quæ ſignificant dolore læſi numinis.

Si patrati criminis dolor vere magnus eſſet, illum procul dubio teſtaremur, & proderemus eo pacto, de quo dubitandum non eſſet. Cum lethalis mœror cor noſtrum opprimit, is facile prodit in faciem: non licet de alia quapiam re dubitare; ſatis clamat ipſum ſilentium noſtrum, ut ab omnibus audia-

audiatur ; lacrimæ ex oculis noſtris erumpentes primi ſunt ejuſdem interpretes, & ſuſpiria noſtra id exprimunt eloquentius, quam verbis omnibus fieri valeat. Vide Magdalenam ſenſibili hoc dolore confectam; ſtatim ac cor illius hoc confoditur jaculo, ad Salvatoris pedes funditur in lacrimas ; & quin illi negotium faceſſant hominum ſermones, magno in cœtu quærit cæleſtem medicum, cui conſcientiæ vulnera aperiat, & ab eo expetat curationem. Sanctus Petrus eodem actus dolore egreditur ſtatim ex eo, in quo erat loco, & lacrimarum exundantia oſtentat doloris ſui magnitudinem : *Et egreſſus foras flevit amare. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deus poſtulat ſinceram culparum noſtrarum pœnitentiam.

Vult Deus corda noſtra conteri, & in pulverem redigi. Hæ loquendi rationes oſtendunt ad iracundiam Dei leniendam non ſufficere profiteri, nos pœnitere peccatorum, ſed acrem concipiendum eſſe eorum dolorem, quem ut plurimum ſingultus, gemitus, & lacrimæ comitantur. Patres de contritione loquentes adhibent verba energetica, apta ad terrorem ignavis animabus injiciendum. Fundamus lacrimas, ſanctus Cyprianus ait, pares magnitudini ſcelerum noſtrorum. Non curis, neque remediis parcatur ad profunda curanda vulnera, ita ut pœnitentia ſcelus exæquet. Preces iterandæ ſunt; noſmet interdiu affligere debemus, & vigilare noctu, vitam totam in ploratibus, gemitibuſque tranſigere, humi, & in cinere cubare, noſmet induere cilicio. Clemens Alexandrinus pœnitentiam baptiſmum lacrimarum appellat. Sanctus Gregorius Nazianzenus ait, ſe recipere pœnitentes, dummodo videat faciem eorum lacrimis madidam. Theodoretus inquit, licet vulnera, quæ poſt baptiſmum recipiuntur, non ſint inſanabilia, ea tamen non æque facile curari, ac antiqua, quæ per aquam Baptiſmi curata fuerunt ; ſed lacrimas, & pœnitentiæ ſeveritates eſſe adhibendas. Ita primis Eccleſiæ ſæculis de vera contritione loquebantur. Hodierna vero die plurimi ad ſacram Exomologeſim accedunt, qui nullum, vel certe modicum habent criminum ſuorum dolorem: ſed qui ex corde quærunt in gratiam reverti cum Deo, & recte vivendi principium facere, ut bene mori poſſint ; hi nil melius efficere poſſunt, quam negotia ſua ad tempus differre, omnemque ſpiritum in pœnitentiæ ſenſus impendere. *Ex opuſculis Bellarmini. Tomo 5.*

Senſus animæ vere pœnitentis.

Quid feci, quid cogitabam, cum tale ſcelus patravi? Læſi Patrem parentum omnium ſuaviſſimum, & mei amantiſſimum; contempſi illum, cum effundebat in me ſuas benedictiones, & totidem habebam ſuæ in me bonitatis infinitæ documenta, quot illius erant vel in me beneficia, vel in proximum meum. Sed quid reſpondebo Jeſu Chriſto Salvatori meo, qui me licet indigniſſimum dilexit, & tradidit ſemetipſum morti pro me, qui adhuc illum ſceleribus meis lædere pergo. Quod ingrati animi vitium, quæ crudelitas ! Dominus meus paſſus eſt turpiſſime cædi, ſpinis coronari, crucifigi pro expiatione criminum meorum; & illum nihilominus recentibus noxis laceſſo ? De cruce clamabat ad me *Sitio*; nec ceſſo illi fel amariſſimum propinare ? Quis poſſet mihi aperire quænam gloria eſt, quam amiſi, mortale peccatum committens ? Heres eram Regni cæleſtis ; mihi in præmium deſtinata erat vita beata, atque æterna : huic abrenuntiavi ut ſordida fruerer voluptate ; & eadem indignum me præbui per blaſphemiam, quam protuli in Deum, & per teterrimam calumniam, quam intuli proximo meo. Et quid hæc mihi profuerunt ? Ecce in maximam corrui omnium calamitatum. Ecce me factum dæmonis mancipium, & ſæviſſimum omnium inimicorum meorum : & ſimulac mortale hoc corpus, quod atteritur, & corrumpitur in ſingulos dies, amiſerit, quod illi reliquum eſt vitæ, peccatrix anima æternis ignibus adjudicabitur. Heu ! me miſerum ! Cras fortaſſe, hac ipſa nocte demergar in ſtagnum ignis, & ſulphuris ; ſed quod maximum mihi dolorem parit, eſt graviſſimum ingrati animi vitium erga Patrem, & Dominum meum, qui eo pluribus me cumulabat bonis, quo audacius illum criminibus laceſſebam. *Idem.*

Quanta ſit Dei patientia expectātis converſionē peccatoris.

Scriptura, & Patres nos docent, quamtumvis conclamata videatur peccatoris ſalus, te, Deus bonitatis, nolle illius obdurationem, & mortem, ſed potius converſionem, & vitam ; donec eſt in hoc mundo patientiam tuam ſemper illum expectare, & ubi peccatum abundat, gratiam tuam ſuperabundare. Cum tu ſis omnium hominum judex, eſſe quoque Salvatorem ; & cum veneris ad vocandos non juſtos, ſed peccatores, & cum ægris opus ſit medico, non iis autem qui optima gaudent valetudine, beatis impiis in ipſo beatitudinis ipſorum ſtatu te ſuppeditare ſalutaria eorum malis remedia; & validos ſtimulos, ut convertantur. Ut hoc fiat duo tantum requiruntur. Ex parte Dei, quod illis tempus, & gratiam permittat, quod illos expectet, requirat, juſtificet ; ex parte vero peccatorum quod vocantis voci reſpondeant, & redimant tempus. Dies enim eorum mali fuerunt; nec illi ſunt amplius illud, quod erant; quapropter agant pœnitentiam, & vitæ rationem commutent. Hæc quidem omnia difficilia ſunt, non tamen impoſſibilia. Impii hi beati non fatigantur Deum lædendo, ſed Deus etiam nonnumquam illos expectando non fatigatur. Voluntatem habent inhærentem malo: ſed cum voluntas hæc ſit indifferens, ferri poteſt in bonum. Sunt ſimiles nivi, grandini, & cryſtallo ; frigidi, gelu adſtricti, obdurati; ſed non deſunt miſericordiæ theſauri ſub hac nive, grandine, & cryſtallo, & *nemo* (ut in S. Cypriani dicto perſeverem) *nemo deſperet eos quos adhuc frigidos videt, quia theſauros Dei in nive, & grandine non videt. Ex moralibus Sermonibus Tomo 1.*

In primitiva Eccleſia peccatores qui non ſe ſubjiciebāt legi pœnitentiæ privabantur precibus, & a publicis cœtibus arcebantur.

Certum eſt, donec vigebat fervor Chriſtianus, flagitioſos peccatores, qui ſemet ſubjicere detrectabant legibus pœnitentiæ, non ſolum a communibus cœtibus, precibuſque arceri, ſed non putari quidem veros Chriſtianos conſueviſſe. Quid prodeſt nomen Chriſtiani citra profeſſionem Evangelii, dicebat eorum temporum auctor? Homines, addebat ille, Chriſtiani non ſunt, ex quo hoc illis nomen defertur; ſed e contra hoc illi nequicquam defertur, donec re chriſtiani non ſunt. Et alter vitioſo Catholico exprobrabat, cur te gloriaris non eſſe te in Hæreticorum ſententia, quandoquidem onera tua tibi eamdem præparant pœnam, quam illis errores ipſorum? Sed ubi ad ſalutaria pœnitentiæ remedia confugiebant ; dolore errata ſua reparabant, & communis fidelium ſenſus erat, ut ſimulac peccator pœnitens fieret, tunc ultra probro non eſſet Eccleſiæ. Pœnitentes aliis ſecernebantur, & dicere poſſumus, quemadmodum Sancti componebant Eccleſiam innocentiæ ſuæ candore circumundique ornatam ; ſimiliter Pœnitentes alteram, prioris ſororem compoſuiſſe, quæ in luctu, lacrimiſque ſuis dicere poterat: filiæ Jeruſalem, nigra ſum, ſed formoſa, & ſub pœnitentiæ caligine inveni gratiæ ornamenta. Ita ſe geſſit Sanctus N. cujus hodierna die memoriam colimus. Ita ille toto vitæ ſuæ ſpatio pœnitentiæ auſteritates exercuit, non ſolum ut præterita peccata ſua expiaret, verum etiam quæ ab hominibus quotidie perpetrabantur. *Auctor Recens.*

Apoſtoli poſt Salvatorē a Chriſtianis pœnitentiam exquiſiverunt.

Prædicatores, quos Dei filius deſtinavit ad mundi converſionem, eumdem ſecuti ſunt ordinem ac ille, ut populos edocerent. Apoſtoli eodem tempore, quo fidem, pœnitentiam annuntiarunt: Patres Eccleſiæ de Baptiſmo, & Chriſtianorum vita locuti ſunt ſub nomine pœnitentiæ: Omnes Sancti ſumma cum auſteritate illam exercuerunt : & ratio ipſa ſuadet, quandoquidem natura generatim nocens eſt per originale peccatum, quod in ea relinquit ſemen ceterorum; & ſinguli etiam homines nocentes pariter ſunt propter crimina, quæ originis ſuæ calamitati addiderunt ; tenentur ſemper agere pœnitentiam, & ſatisfacere, niſi velint aliis ſceleribus ſuis cumulum addere recenti injuſtitia & cæca præſumptione. Quoniam vero Chriſtianiſmus illis viam aperit, ut reparent juſtitiam, quam amiſerant, neceſſe eſt, ut illos in pœnitentia contineat, & gratia Salvatoris eos doceat prætérita expiare delicta, & Cæli viam reparare. *Auctor Recens.*

Pœnitentia privat hominē omni voluptate, & honore.

Gloria, & voluptas duo maxima ſunt hominis deſideria. Nunquam fere alterius privationi conſentit, niſi illud alterius adquiſitione immolare teneatur : Voluptuoſus honoris obliviſcitur, quia illum allicit voluptatis illecebra : ambitioſus negligit voluptatem, quia illum trahit gloria. Sed pœnitentia aufert homini duorum horum bonorum perfruitionem, voluptatis quidem per doloris amaritudinem, gloriæ vero per ſenſus humilitatis, qui nunquam magis profundi ſunt, quam cum ſe ſontes eſſe cognoſcunt. Invenimus homines pluribus modis humiliatos, qui illis aliorum contemptum conciliant. Primus modus eſt natalium turpitudo, in qua inveniuntur nonnunquam ſordes adeo probroſæ vel ſceleris, vel ſervitutis, ut rubore ſuffundantur, quin noxii habeantur, & in hoc ſenſu peccator exprobrare ſibi poteſt originem ſuam, quæ in lucem edidit ſervum dæmonis, & parentum ſuorum ſceleribus coinquinatum. Modus alter quo homines humiliantur, eſt per naturalia corporis, animique vitia, quorum altera viſum, altera lædunt ſocietatem. Et in hoc quoque ſenſu peccator habet occaſionem humiliandi ſe, conſiderans circum undique ſuas ignorantias, & infirmitates. *Idem.*

Miſeria extrema peccatoris ſine pœnitentia.

Certum eſt gloriam cum miſeria ſimul eſſe non poſſe ; & in Sacrorum Bibliorum ſtylo vocabula afflictionis, & humiliationis unum, idemque ſignificant. Nulla autem miſeria major eſt, quam peccatoris, qui procul abeſt a Deo, exutus omnibus gratiæ bonis, & cui æternum inſtat ſupplicium. Sed omnes abjectiones longiſſime abſunt ab illa, cujus cauſſa peccatum eſt : illæ non complectuntur niſi naturæ, vel conditionis calamitatem; hæc autem, quæ ſita eſt in peccato, meretur omnino, ut qui illud commiſit, contemnatur. Hoc pacto peccator potiſſimum humiliatur, & pœnitens, qui omnes colligit humilitatis cauſſas, hanc præ ceteris agnoſcit, & erubeſcit cum ſuimet ipſius contemptu, qui illum ſub ipſo dejicit inferno. Interior hic humilitatis ſenſus Sancti Pœnitentis noſtri mores formavit. *Idem.*

Nōtio veræ pœnitentiæ ab omnibus habenda.

Pœnitentiæ nomen hoc in loco preſſius non excipitur velut ſignificans chriſtianam virtutem illam, quæ conterit cor peccatoris, quæ illum diſponit ad gratiam, & quæ maximos ejuſdem progreſſus concomitatur. Utor nomine Pœnitentiæ, quomodo omnes vulgo uti ſolent ad exprimendas pœnas, quæ pro peccato imponuntur ; cujus uſus adeo communis eſt, ut quidquid moleſtum ſuſcipitur agendum in patratorum criminum ſatisfactionem, pœnitentia vocetur. Loquor hic igitur de pœnitentia ſpiritus, videlicet de pœnis, quæ ſufferuntur propter peccatum primis converſionis temporibus. Diſtinguo igitur ſpiritum corporalis pœnitentiæ, ab hac pœnitentia ſpiritus; altera quippe eadem eſt hujus virtutis eſſentia; habitualis, & permanens diſpoſitio, quæ in anima quoque eorum, qui eminent Sanctitate, invenitur ; ſed pœnitentia de qua loquimur proprie pœna eſt recentium Converſorum, in quos Dei juſtitia vult animadvertere per rigores ſuos, & quos divina Sapientia vult expiare, & ſeparare ab illiciis amoris Mundi, & amoris proprii per has pœnas. Diſtinguo etiam hanc

hanc pœnitentia ſpiritus a corporis pœnitentia ; quia earum ſeveritates longe differunt, non ſecus ac earum ſubjecta. Cum utrumque particeps fuerit peccati, tenetur utrumque illud expiare pœnis; ſed corporeæ reguntur diſcretione, quæ tempus earum, & vires obſervat, ita ut vulgo neque immodicæ ſint, neque aſſiduæ, cum pœnæ ſpiritus nullam habeant menſuram, nullumque intervallum. Et vere æquum eſt ut quoniam ex duobus nocentibus ſpiritus eſt nocentior, acrius puniatur; ita pœnæ illius aliunde proficiſcuntur, & ab alio imponuntur judice, quam illæ, quas Pœnitentes patiuntur extrinſecus. Spiritus imponit corpori pœnas, quas patitur: ſed Deus ipſe infligit ſpiritui varias pœnas, quibus affligitur; ideoque corporis pœnæ voluntariæ ſunt, & pœnæ ſpiritus neceſſariæ. Licet ſpiritus dominetur in corpus tanquam mancipium ſuum; tamen adeo arcte illi conjunctum eſt, ut ſemper illi indulgeat, ſemperque aures benignas præbeat illius excuſationibus, ut eam moderetur ſeveritatem, quam meretur; ſed juſtitia Dei, quæ pœnas irrogat ſpiritui, capax non eſt, aut erroris, ut decipiatur ; aut infirmitatis, ut flectatur. Videamus ergo quas pœnas illa per ſe irroget, & quas juſte permittit in pœnam, vel probationem recens Converſorum; & diſcamus, quam periculoſum ſit lædere Deum juſtum, ac potentem, qui tanta cum ſeveritate in eos ipſos animadvertit, quos jam gratia ſua dignatus eſt. *Auctor recens.*

Lacrimæ quas fundimus eamdē non habent vim ac illæ Sanctæ Magdalenæ niſi eamdem habeant cauſſam.

Credendum non eſt, Auditores, omnibus lacrimis, quas fundimus, eamdem ineſſe vim, ac lacrimis Magdalenæ, niſi fluant ex eodem fonte, & niſi eadem cauſſa eas cieat. Baptiſmatis aqua per ſe nullam habet efficiendi vim, niſi ad Sacramenti dignitatem attollatur per verba baptizantis. Hoc ipſum accidit lacrimis ex oculis fluentibus : inutiles ſunt, niſi illas eliciat pœnitentia. Omnes lacrimæ, quas temperamenti mollities tanta cum facilitate elicit, nihil proſunt ad ſalutem ; Omnes illæ, quas elicit boni alicujus, vel amici jactura, ſteriles aquæ ſunt, quæ nihil pro cælo producunt. Opus eſt, ut Sanctus Spiritus eas uberes faciat, alioquin omni fructu carent, vel ſi mavis, ſecundum S. Auguſtini mentem, ac locutionem, docte plorandum eſt. *Docte plangite.* Quid ſibi vult inſignis hic Doctor? Igitur ad lugendum doctrina requiritur? Ita ſane; & hominum plerique ignari ſunt in tribulationibus ſuis: ignorant quippe uſum lacrimarum ſuarum: nam hæc fortunæ perturbatio, propter quam tantum lacrimarum profundunt: hæ neces filiorum, vel amicorum, quæ illis tot, tantoſque dolores afferunt: hoc pravum viri ingenium, & tot alia infortunia, quæ mulieri huic perennem pariunt dolorem ; ſi hæc omnia perferrentur propter Deum, & propter peccatorum ejus ſatisfactionem, quos theſauros, quos meritorum acervos illi cumulaſſent ! Quæ gloriæ pondera in cælo ! Sed hæc omnia pereunt, eo quod lacrimarum uſus ignoratur. *Plangite docte.* Heu! S. Cyprianus addit, cum jacturam feciſtis alicujus boni fortunæ, nullo affici poteſtis ſolatio; ubique proditis doloris magnitudinem, quæ vos premit : Jacturam paſſi eſtis animæ veſtræ, Deique veſtri per ſcelus, & ſiccos habetis oculos, & cor inflexibile? Animam tuam perdidiſti, & non acriter plangis? Non *acriter ingemiſcis?* Video quid hoc rei ſit, & facile cauſſam hujus carentiæ ſenſuum cognoſco. Hoc oritur, ait, quod homines verum habent dolorem jacturæ bonorum, quæ reſpiciunt corpus, & opes terrenas : quia illas habent in pretio, eiſque penitus adhærent. Triſtitia eorum in his omnibus occaſionibus ſincera eſt : ſed in ſpeciem tantummodo dolent ob jacturam bonorum æternorum, quæ flocci faciunt, & de quibus nunquam fere cogitant ; quia lacrimæ eorum non manant ex corde, ut olim lacrimæ Magdalenæ, cujus dolor illas excitans non minus violentus eſt, quam ſincerus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

RPO COMMUNI SANCTORUM,

Qui ſemet in Mundo ſanctificarunt bonorum operum praxi

M O N I T U M.

DIquet in ordine naturæ Providentiam conſtituiſſe, ac præſcripſiſſe hanc ſtatuum, & conditionum varietatem, quæ alit ſocietatem hominum, & quæ tenet in mutuis officiis civitates, regna, & Reſpublicas ; ſimili pacto ſupernaturalis Providentia Dei in omnes generatim, & ſingillatim fideles vocat illos in eum vitæ ſtatum in quo naſci voluit, aut in eam conditionem, ad quam illos vocavit ; ideoque adjecit illis ea media, per quæ ad finem ſuum pervenirent, & gratias, quarum ope ſemet in hoc ſtatu ſanctificarent, & etiam ad eminentem ſanctitatis ſtatum ſe attollerent.

Hinc Eccleſia Sanctos veneratur, & colit ex omni profeſſione, & vitæ genere, & S. Paulus, ut nobis omnem auferret cauſſam, quam prætexere poſſemus negligentiæ Sanctificationis noſtræ in eo ſtatu, in quo ſumus, palam profitetur, non omnes homines eſſe Apoſtolos, Prophetas, Doctores, nec omnes iiſdem talentis donari. Unde ſequitur, Deum non ab omnibus eadem exigere officia, & munera eadem ; ſed id maxime optare, ut omnes ſint Sancti, 1. Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. *Quin opus ſit afferre argumenta ex veteri, novoque Teſtamento deprompta, in primitiva Eccleſia Chriſtiani omnes fere Sancti erant, eadem exercebant munia, eadem officia, communem vitam ducentes, & ſæpe obſcuram, & abſconditam, quemadmodum fecit S. Joſeph, & per plures annos ipſe Salvator. Sancti vero, de quibus hic quæſtio eſt, ex hoc ſunt numero ; ſemet ſanctificarunt in vita communi, & hominum commercio per exercitationem virtutum, ac chriſtianorum dogmatum, per bonorum operum praxim, per obedientiam voluntati Dei, per paſſiones, & ſedulam officiorum ſtatus ſui, mandatorum Dei, & Eccleſiæ obſervantiam. Contingere poteſt igitur, in aliquibus Civitatibus, vel peculiari quopiam in loco celebrari diem feſtum Sancti viæ hujus, quæ Oratori ad elogium texendum nihil aliud ſuppeditabit, quam vitam frugi, & ſancte peractam, quæ quidem ſatis æſtimari non poteſt. Hoc itaque in argumento invenietur rerum ſupellex quæ peculiariter applicari poſſit Sancto, qui pro tali habitus, probatuſque fuerit.*

P R O C O M M U N I S A N C T O R U M,

Qui ſe ſe in Mundo Sanctificarunt virtutum, & bonorum operum praxi.

Fidelitas a nobis habenda, in quocumque ſtatu ſimus, ratio eſt ſeipſa ſanctificandi.

QUoniam infidelitates noſtræ in Dei ſervitio vulgatiſſima eſt cauſſa, propter quam deficit noſtra in Deum confidentia; exhauriamus venenatum hunc fontem ſedula, & conſtanti fidelitate. Nihil negemus Deo ex iis omnibus, quæ ſcimus illum petere a nobis, & certe orantes illum replebimur ſancta confidentia quidquid obtinendi. Impendamus ſaltem aliquod tempus in examine rerum earum, quas Dominus petit a nobis eo in ſtatu, in quo nos collocavit. Arduum non erit illas cognoſcere. Sumus ne in ſtatu religioſo? ne aliud quæramus apertius documentum divinæ erga nos voluntatis, quam regulas noſtras ; has deinceps indiſcriminatim, & ſine ulla exceptione obſervemus. Præditi ſumus auguſta Sacerdotii dignitate? Minima etiam ſublimis hujus ſtatus obeamus officia, & ſecundum illius dignitatem vivamus. Vivitis in ſæculo? cogitate, quæ veſtra ſint officia, non quidem generatim, ut plurimum accidit, ſed ſingillatim, & prolixius, Officia erga familiam, filios, ſervos, Officia Chriſtifidelium, praxim pietatis conſtantem, aſſidua Religionis exercitia, inevitabilem Mandatorum Domini, & dogmatum Evangelicorum obſervantiam: & conſilium capite nihil in poſterum Domino negandi. Ita ſanctus ille vir, de quo verba facimus, in ipſis mundanarum curarum impedimentis, & mundi negotiis ſanctificatus eſt; ſimili ratione & nos poſſumus ſanctificari, ſi conabimur illius veſtigia legere, & exempla imitari, *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 1.*

In omni ſtatu quæcumque occurrat difficultas, poſſumus ſanctificari.

Hæc perquiſitio curioſa fuit Doctorum virorum, nullum vitæ ſtatum in Republica inveniri poſſe, ubi aliquis ab eadem Eccleſia inter Sanctos relatus non ſit, ut intelligamus, quemadmodum non conditiones, neque inſtituti genus Sanctos minime faciunt, hæc nequaquam illa eſſe, quæ prohibent, ne aliquis ſanctificetur; ſed vita quæ in quolibet genere ducitur, & fidelitas, qua cujuslibet ſtatus officiis defungimur. Hoc olim dicebat Tertullianus fidelibus ævi ſui. *Nihil refert ubi ſitis, extra ſæculum eſtis.* Quid intereſt, quam vitæ rationem profiteamini, dummodo ad illam vos evocaverit Dominus ! Ita non quæro utrum ſæculares ſitis, an Religioſi, utrum Sacris Ordinibus initiati, an Matrimonio impliciti : ſed hoc eſſe debet commune Chriſtianis omnibus, cujuſcumque conditionis, & profeſſionis ſint, ut a ſæculi abſint corruptione, quod fieri poteſt in omni genere conditionum. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Inter Reges, milites, mercatores &c. plurimi ſemet ſanctificarunt.

Profecto ex Regum numero, qui inter Fideles illi eſſe videntur, qui majores obices habeant ad ſalutem, infiniti prope ſunt, qui in Beatorum album relati ſunt, poſtquam in Aula profana vixerunt, quin vitiorum contagione inficerentur. Quænam conditio eſt, ubi ſit plus licentiæ, & Religionis minus, quam militum ſtatus? Attamen exercitus fieri poſſet ex illis, qui in eo inſtituti genere ſanctificati ſunt ; nec defuerunt legiones integræ, quæ maluerunt mortem ſubire, quam fidei abrenuntiare. Inter homines negotioſos quænam pericula, quænam ſalutis difficultates ? Quæ impedimenta ! Non